10.5.141

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

SALOMONIS

STATU.

B I

Digitized by Google

5.161

Digitized by Google

DE

SALOMONIS

STATU

JUDICIUM

Non auferat veritas miſericordiam, nec miſericordia impediat veritatem. Si enim pro miſericordia judicaveris contra veritatem, aut quaſi rigida veritate oblitus fueris miſericordiam non ambulabis in via Domini, in qua miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi. Sent. in Oper. D. Aug. ex D. Proſp. cx.

PARMÆ,

EX TYPOGRAPHIA BORSIANA

AN. CIↃ IↃ CC LVII.

Publ. Auct. Recogn.

Digitized by Google

Si omnes homines ſimul conſideremus, quorum alii miſericordia ſalvi fiunt, alii veritate damnantur, univerſæ viæ Domini, id eſt, miſericordia, & veritas ſuo fine diſtinctæ ſunt. Si autem ſolos Sanctos intueamur, non diſcernuntur hæ viæ Domini. Individua enim ibi eſt, & a miſericordia veritas, & a veritate miſericordia, quia beatitudo Sanctorum, & de munere gratiæ eſt, & de retributione juſtitiæ. Sent. Aug. ex D. Proſp. XXVIII.

10, 5, 141

Digitized by Google

N. N. S. P.

Quod animum tuum conjecturæ; quas non multo abhinc tempore publicè diſceptans in quæſtionem illam attuli de Salomonis ſtatu, omnium ſermone celebratiſſimam, quæ prælo ſic exprimebatur — *nullum argumentum ex ſacr. litt. deprompτum evidenter comprobat æternam Salomonis damnationem* —, vehementer occuparint, petis a me, ut quam animo ſententiam reapſe complectar, aperire tibi velim. Faciam libenter, neque enim aliud quidpiam jucundius iis, qui amico in alios animo ſint, poteſt accidere, quam amicorum ſuorum voluntati inſervire; atq; ità faciam, ut quam tunc primò conceperam animo hac ſuper re diſertationem, quin & inchoaram, modo perficiam; perfectam verò, atque hoc quidem pro eo quod eſt mihi ingenio, quod quam exiguum ſit ipſa hæc dum identidem ſcribo plane ſentio, ad te mittam, votiſque tuis uberius fortaſſe etiam quam a me poſtulas reſpondeam.

Digitized by Google

Quid fieri ab iis ſoleat, qui publicis in velitationibus, quod ex munere eis intereſſe debeant, ad dicendum interdum provocantur, te non latet, qui, cum idem tibi muneris atque mihi, tibi quidem pro tuis in litteras meritis, mihi autem concurſu quodam rerum fortuito, contigerit, ſæpe etiam ad dicendum provocaris: tractatores nempe rerum illarum, quæ in diſputatione ſint poſitæ, perquam diligenter conſulere. Id & ego ſtudii cum facerem, (neque enim is ſum qui doctior haberi velim, ſi ſtudioſus non videar), mirum dictu eſt, quot in utramq; partem congeſta hinc inde occurrerint momenta. Movebant me maximè, mentemque meam veluti in partes plures diſtrahebant hinc quæ a Natali ab Alexandro, illinc quæ a de la Turre, utriſque, ut optimè noſti, ex Dominicana familia inſignis notæ viris, iſtinc quæ a luculentiſſimo illo Scripturarum Commentatore, Abulenſem dico, pro ſua ab unoquoque ſententia videbam afferri. Poſtquam diù, multumque dubitatum per me eſt, cuinam iſtorum me felicius adjungerem, Abulenſis ille viſus eſt qui ad veritatem propius accederet, unaque obſervatum mihi venit, cauſſam omnem quod de re iſta in utramque partem ad hæc uſque tempora diſputatum fuerit, incertoque veluti Marte nunquam non pugnatum, eo tandem revocandam eſſe, quod non multum, aut veriùs nullum in eo ſtudium, viri cæteroquin ſtudioſi, collocaverint, ut inter certitudinis genera clare, apteque diſtinguerent. Rem certè hanc ab Abulenſi præ cæteris præſtitam fuiſſe, vel apertiſſimis verbis id ipſe non tradat, ex ejus tamen loquendi formulis haud obſcure, ut mihi quidem videtur, colligimus: *Patet igitur*, ſic finem facit ſuæ in rem hanc tractationi, *Quod quamvis ſacra Scrip-*

tura

Digitized by Google

tura nihil expreſſe definiat de condemnatione, *vel ſalute Salomonis*, *& quantum ad hoc ſit problema neutrum : tamen certiſſime aſſeri poteſt Salomonem non pœnituiſſe* ; Quibus ſe varia certitudinis genera præ oculis habuiſſe nonnihil meditanti videri poſſe perſuaſum facile habeo .

Cogitanti itaque mihi hac ſuper re illud venit in mentem , hanc ſcilicet quæſtionem, dum apte certitudines inter diſtinguatur , poſſe optime definiri, ſuoque in certitudinis genere, quod quale ſit jam puto a te perſpici, ita conſtitui, ut duo inter judicia ſuſpenſa veluti mens noſtra, ac pendula amplius non fluctuet . Hoc cum ad opus iſtud per ſe invitaret, & alliceret appetitum animi ; inquiſitio enim veritatis in iis maxime rebus, quæ variam fortunam apud hominum opiniones ſubeunt , ſi magnam habet delectationem , uberiorem certe affert inventio ; tum illud addebat animum quod menti ſuboriebatur , (uſuvenit enim ut quemadmodum e rebus res, ſic e cogitationibus cogitationes naſcantur, & quæ etiam inter ſe naturâ non ſint ſatis conjunctæ, origine cognatæ habeantur), illud inquam addebat animum , nimirum quod ſemel quiſpiam pedem hac in re certo figeret , eoque perveniret ut certam penitus certitudine aliqua Salomonis damnationem omnibus redderet, momentum, illudque non exiguum , eorum qui aut ſapientia eminent , aut opibus affluunt , aut virtute pariter, fortuniſque præ cæteris florent , ſuperbiæ infringendæ adderetur. Neq; enim tu, nec quiſquam alius mihi ibit inficias , Auguſtinianam illam ſententiam — *unus eſt ne preſumas* , *alter eſt ne deſperes* — , gravius ex eo momentum habere , quod communi hominum ſenſu tamquam certa alterius ex illis damnatio traducatur.

Intelligis jam cui operi manum admoveam ; illudque etiam fortaſſe pro ea quæ in te eſt litterarum , ac monumentorum quæ publici juris ſunt peritia , bonaque etiam erga me voluntate , tanto æquiori animo ſuſcipiendum mihi id operis eſſe , quanto momenti plus aliquid habere videatur , ac quod de Adami ſalute Abbas bonæ ſpei olim cudit , præclariſſimè nihilo tamen minus ab omnibus exceptum . Hoc ſi ita apud te eſt : feliciter ne æque, an ſecus res ceſſerit tum judices velim, (quod omnium eorum eſſe debet, qui quidquam ſibi communi quodam legentium jure judicandum vindicant de iis quæ in eorum manus deveniant), cum ne unum quidem verbum tibi excidiſſe conſtiterit ; qui etiam cum judicium tuum tuleris, aliquidque quod meritò damnes offenderis moneri te ſcias, aut ſi virum mei expertem, eundemque amatorem monere hæc non eſt neceſſe, alios tu moneas, me eum eſſe veritatis amatorem , cui nihil gratius accedere poteſt, quam errorum ſuorum non quidem ut mordaciſſima hæc noſtra fert ætas , quis enim æquo animo id ferat , ſed blandè ſuaviterque admoneri ; id inſuper ſpectandum ſibi eſſe, laudem ſuam ei non eſſe invidendam , qui novam ſaltem ſpecie tenus cudat ſententiam, aut nova in luce conſtituat; quemadmodum ætate hac noſtra ſua in Cyprianicum factum cogitata Miſſorio gratulata eſt litteratorum virorum Reſpublica, ſemperque gratulabitur ; tametſi ingenii potius ea ſit laus , quam veritatis ; quod dixerim tamen, neque ita quaſi in eam ego ſpem adducar, ut utramque & ingenii & veritatis mihi comparem laudem ; neque ita ut vel ad ingenium quod attinet comparandum me illi ſentiam ; Perſuaſum enim mihi eſt etiam, atque etiam ex iis

Digitized by Google

eſſe Miſſorium hominibus, qui me naſo poſſint ſuo ſuſpendere. Sed habe jam, quod a me expectas: interim & tu quod & ego a te maxime opto fac ut aſſequar: illud autem eſt omnium primum te valere ut intelligam. Quod perficies ſi & nimio ſtudio non indulgebis; & liberiorem in dies aerem reſpiraturus ibis deambulatum. Sic ſoſpitem te diu, incolumemque mihi ſuperi ſervent, ut præcepta mea iſthæc faciens valebis. Cujus rei ſi me certiorem ſæpius facies, gratiſſime facies. Vale ergo iterum atque iterum dico vale.

Opus

Digitized by Google

OPus jam nunc aggredior: ſed antequam de re, de qua omnis diſputatio futura eſt, dicamus, videtur dicendum de genere ipſius certitudinis, de ejus ſpeciebus, aut quaſi ſpeciebus, de gradibus, aliiſque id genus certitudinem ſpectantibus; Nam his rebus cognitis faciliùs, & expeditiùs uniuſcujuſque animus ipſam rationem, ac viam totius operis conſiderare poterit. Jam verò certitudinis genus quadruplex eſt, ſeu, ut mavis, quattuor ſunt ſpecies, aut quaſi ſpecies illius: alia ſiquidem metaphyſica dicitur, & ea eſt, quæ eſſentias rerum ſpectat, atque in iis propoſitionibus elucet, quæ ita ſunt veræ ut aliter eſſe non poſſint, cujuſmodi exempla ſunt: totum eſt majus ſua parte: bis duo numerum efficiunt quaternarium: & quæ ſunt generis ejuſdem: phyſica eſt altera, atque hæc eſt, cum de objecti exiſtentia pronunciatur, quæ, ſuavi, naturalique rerum ordine attento, aliter nequit ſe habere: ſequitur geometrica: iſta ex quibuſdam aut definitis, aut communiter receptis, aut etiam jam demonſtratis aliquid certiſſimè concludit: Omnium extrema, atque infima ea eſt quæ moralis appellatur quam ſcilicet aut ex validiſſimis conjecturis, aut ex apertis nimium circumſtantiis, aut demum ex Authorum conſpiratione elicimus. Hæc cum ita ſint, quam in Epiſtola mea ſubobſcurè auſpicatus ſum de Salomonis ſtatu ſententiam, quæ appoſite magis ad veritatem feratur, quid de eo perceptum ego habeam, ac firmum, penitus aperio, verbiſque hiſce, ex quibus intelligas quid ſit illud, de quo a me diſputetur comprehendo.

Evidens eſt *evidentiâ morali*, aut magis evidens, ut minus, quam ſalus, Salomonis damnatio.

Atque

Atque ut Geometræ ſolent non omnia docere, ſed poſtulare ut quædam ſibi concedantur, quo faciliùs, quæ velint, explicent: ego a te poſtulo ut mihi concedas: (*) primò cum in obſcuriſſimis rebus verſari contingat, quemadmodum ea ſunt præſertim, de quibus ſermo hic omnis nobis eſſe debet, (animorum enim ſenſa ſoli Deo perſpecta ſunt, atque explorata), nullum aliud evidentiæ genus deſiderari poſſe, illud præter, quod *morale* communi Theologorum vocabulo nuncupatur; Ea propter cum de Salomonis ſalute quæſtio inſtituitur nihil penitus laborandum eſſe, ut in aliquo certitudinis genere ipſam ſtatuamus, verùm illud è veſtigio inquirendum, utrum nec ne certa ſit certitudine *morali* Salomonis ſive ſalus, ſive damnatio.

(*) *Poſt.* 1.

Deinde (*) fieri optimè poſſe, ut res illa, cujus certitudinem hanc habeamus, falsò penitus a nobis teneatur: atque hoc, quidem quod non ſtatim ob oculos ſit, exemplo illuſtro. D. ſanè Auguſtini temporibus temeritatis notam ſubiiſſet, ut Pontificis (*) damnationem, quæ quidquid aliud certè ſpectabat omittam, qui aſſeruiſſet Antipodas. Certum itaque erat tunc temporis certitudine *morali* quod hujuſmodi antipodæ non extarent, & tamen falſum hoc erat quamquod falſiſſimum, quemadmodum in præſentiarum experimentis, & navigationibus recentiorum ducti perſuaſum ſinguli habemus. Hinc ſponte veluti ſua illud fluit, de eadem nimirum re certos nos incertoſque eſſe poſſe, dum varium certitudinis genus attendatur: certos inquam, quod certitudinis *moralis* argumenta habeantur: incertos, quod nulla eorum ſubſint, quæ *metaphyſicam* evidentiam conſtituant. Sit exemplo id ipſum, de quo futurus eſt omnis ſermo: atque pro præſentia demus

(*) *Poſt.* 2.

(*) *Zaccharie qui ſeculo* 8. *floruit.*

mus

mus ne unum quidem eorum, quæ *moralem* evidentiam progignunt, deeſſe, ut nempe certa *moraliter* Salomonis damnatio traducatur: adhuc tamen, ſi probe ſentio, incertus *metaphyſice* ero; qui enim noverit an Salomonem intime nec ne ſcelerum ſuorum pœnituerit? certe nemo præter Deum, cui uni rerum abditiſſimarum cognitio, quæ nulli ſubſit errori, jure ſuo tribuitur.

(*) *poſt* 3. Etiam (*): evidentiam moralem non in aliquo indiviſibili eſſe conſtitutam: pro qualitate idcirco materiæ eſſe accipiendam: puta ſi hujuſmodi res ſit, cujus veritas ab authoritate hominum pendeat; hoſce eſſe adeundos, cumque eorum unanimem conſenſum habuerimus, ut ut res illa, teſte Honorato (*), quem cum authoritatis cauſſa hic nomino, & honoris etiam nominatum volo (*a*) falſa eſſe poſſit, certam certitudine *morali* pronunciemus: ſin autem hujuſmodi ut tota quanta eſt conjecturis innitatur, has, nec indiligenter expendendas, remq; pro earum merito definiendam.

(*) *tom.* 2. *reflex. ſur la Critique p.* 118.

(*) *poſt* 4. Denique (*): ubi conjecturæ pro utraque parte rei diſputatæ ſe ſe nobis præſtent, tum aut certam, aut incertam, aut magis certam, aut magis incertam *moraliter* rem eſſe dicendam pro eo quod in ſe roboris habeant, aut conjecturæ illæ, quæ certitudinem adſtruant, aut illæ quæ incertitudinem vindicant. Quæ ſi mihi des ſingula; ut certe dabis, dum mente tua uti velis, rem tunc me aſſequutum eſſe aſſentiaris neceſſe erit,

(a) Is enim in ea arte, quam Criticen vocant, eam eſt dignitatem conſequutus, ut quod olim de Ariſtotele propter ejus in Oratoriam artem merita auſpicatus eſt Cicero (*) de Honorato affirmare haud dubitem quod nimirum huic arti *plura adjumenta, atque ornamenta ſubminiſtraverit*.

(*) *lib.* 1. *de Invent. Venet. edit. Vet. p.* 61.

Digitized by Google

erit, cum Salomonis damnationem aut certam abſolute *moraliter*, aut certam magis quam ipſius ſalutem, adhibitis quæ hujus rei ſint conjecturis, aperte demonſtrarim. Iſtæ autem ad duo capita revocantur, *verba* videlicet, & *facta*, quibus ſua quæque pars hac mea diſputatione tribuatur, & *factis* quidem prima.

I.

1. PORro ſi res *factis* primò pendatur, nullum hujuſmodi a Salomone fuiſſe quod ipſum pœnitentem deceſſiſſe ſuadeat Cœloq; proinde fuiſſe receptum, tam liquidum erit ut nihil magis. Pœnitentis Idololatræ veſtigium Idolorum eſſe deſtructionem nemo unus dubitat: hoc enim & ratio ſuadet, ſiquidem qui peccandi occaſionem non removet, affici ad illam non abs re judicatur: hoc & exempla demonſtrant, neque enim pœnitere ex animo ducimus aut concubinarium, qui concubinam dimittere haud velit, aut avarum, qui non elargiatur: hoc demum & Scriptura teſtatur: Samuel etenim, ut uno ex pluribus in rem hanc utar ſacrarum litterarum oraculis, haud aliter revocari populum poſſe ad veri Dei cultum arbitratus eſt, quam ſi lubenti animo Deos alienos ex integro ſummoveret: *Si in toto*, inquit, *corde* (*) *veſtro revertimini ad Dominum*, *auferte Deos alienos de medio veſtri Baalim*, *& Aſtharot*, *& præparate corda veſtra Domino*, *& ſervite ei ſoli*. . . . *abſtulerunt ergo filii Iſrael Baalim*, *& Aſtharot*, *& ſervierunt Domino ſoli*. Age nunc his ſimile aliquid videamus num a Salomone præſtitum ſit qui nobis probet, aut hujuſce argumenti vim feliciter declinet. Qui futurus ſit ille haud equidem video. Enim verò quid in Scriptura apertius, quàm

(*) 1. *Reg.* *cap.* 7.

Digitized by Google

quam ad Joſiæ uſq; tempora quæ confici curaverat Salomon Deorum Simulacra ſtetiſſe. *Excelſa quoque*, inquit (*) *quæ erant in Jeruſalem ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael Aſtharot Idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchom abominationi Filiorum Ammon polluit Rex ....*

(*) 4. Reg. cap. 23. v. 13.

2. In omne latus profecto ſe vertunt (quod & iidem ipſi dicunt qui neutræ hac ſuper re parti ſe adjungunt), nullum lapidem non movent, ut quaqua via ab hoc argumento ſe expediant, qui de Salomonis ſalute ſolliciti ſunt, atque inter ea quæ reponere ſoleant, hæc ſunt præcipua: Salomonem fana illa, atq; Idola fortè disjeciſſe (*), ab Ammone verò, aliiſque ſubinde impiis Regibus fuiſſe inſtaurata: ipſum reapſe (*) templa quidem, & Idola evertiſſe, fundamentis tamen tenus haud complanaſſe, quare ruinæ, & parietinæ dumtaxat manſerint, cum peccati Salomonis, tum pœnitentiæ teſtes; quod ſi hæc probari nemini poſſint, illudque adhuc firmum maneat, Idola nimirum, & delubra omnia factitiis Diis nuncupata a Salomone projecta minime fuiſſe, adhuc non obtineri, quod nulla compunctus pœnitentia Salomon deceſſerit; Enim verò, inquiunt, aut æquis (*) de cauſſis potuit illa concludere, alioſque in uſus convertere: aut (*) idcirco intacta relinquere, quod populus reputans illum ſenem delirum obſtiterit: aut denique Idola non deſtruere haud pœnitentis animi argumento eſſe non poteſt, cum neque Ezechiæ (*) cujus immo pietas ſacris litteris pluries (*) commendatur, ulli crimini detur, quod infames illas antiquæ Salomonicæ ſuperſtitionis, & impietatis reliquias funditus non deleverit, id quod majori præditus zelo præſtitit Jo-

(*) ap. Nat. ab Alex. tom. 2. pag. 164. col. 2.
(*) ap. eundem ibid.
(*) ap. eundem ibid.
(*) de la Turre tom. 1. queſt. 7. pag. 458. num. 17.
(*) ap. Nat. ab Alex. ibid. & col. 1. pag. 165.
(*) 4. Reg. cap. 18. 3. 4 5., & Eccli. 48. 25.

Joſias : neque itidem Manaſſi (*) vitio hoc ipſum vertatur ; vel enim eas, quas ipſe Idolis erexit, aras conſtat (*) ab Joſia fuiſſe ſubverſas : ad hæc nonnulli : ut quid de Idolorum deſtructione tam ſollicitos eſſe ? Nonne ipſum potuit intimè pœnitere ? Aſt qui hæc adſerunt, hoc verbum quid valeat non vident hocque inter multa potiſſimum non advertunt (adderent ii, quibus mordere alios in deliciis eſt, *incauti iſti* : ſed malè, neque verò omnia animadvertere in homine eſt, quiſquis tandem ille ſit) non inquam advertunt id nempe quod intimè pœnitere ipſum potuerit, certitudini quidem *metaphyſicę*, non verò *morali* aditum obſtruere : animum ſiquidem aliorum explorare alia via non poſſumus, quàm ex iis, quæ ob oculos noſtros verſantur. Quapropter ad duo illa priora refellenda nos comparemus, quæ primam veluti obtrectatorum meorum claſſem inſtituant.

(*) *ap. Nat. ut ſup. col.* 1. *pag.* 165. *& de la Turre loco ſupr. laudato.*

(*) 4. *Reg. cap.* 23. *v.* 12.

Ab Ammone, inquiunt, inſtaurata fortè impia Salomonis templa, ac delubra fuerunt, quorum ruinæ, ac parietinæ dumtaxat manſerint. Illud in primis vitii habet hocce reſponſum, quod a divinatione ſuum omne præſidium repetat : alterum, quod Scripturarum hiſtoriæ apertè refragetur. Hæc in hiſtoria (*) *Excelſa quoque, quæ erant in Jeruſalem polluit Rex*, Joſias ſcilicet, ſubinde è veſtigio, *& contrivit Statuas, & ſuccidit lucos*. Porro non inquit Scriptura, quæ inſtauraverat Ammon, nec ullibi Scripturarum inſtaurationem hanc legimus, ſed *quæ ædificaverat Salomon :* deindè adjicit, *& contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos*, quaſnam, amabo, ſtatuas, niſi Idola Aſtharot, Chamos, Melchon, quæ inibi nominantur. Non igitur ruinæ tantùm, & parietinæ manſerant. Teſtor hoc loci te ipſum

(*) 4. *Reg.* 3. *ſup.* 201 *v.* 13.

ſum qui legis, num ſenſus, quem primò præſefert hiſtoria iſta, is ſit? num divinationi omnia pateant, nihilque in Scripturis, quemadmodum jacet, accipi poſſit, ſemel ſic ut ſonant hiſtoriæ hujus verba non complecti integrum ſit? num aurea illa Patrum regula, retinendum nempe, quem naturâ ſuâ præſeferunt verba Scripturarum ſenſum, ſemper ac evidens non urgeat abſurdum, aut Eccleſiæ definitio non obſtet, apud eos conſiſtat, qui tam aperta in hiſtoria in id verbi *fortaſſe* veluti in tutiſſimum quendam portum ſe ſe recipiunt? Quaſi verò magnum aliquod conſequeretur abſurdum, aut Eccleſiæ definitio in eo obſtaret, quod certa *moraliter* Salomonis damnatio conjiceretur.

3. At unum video, quo ſe tueri quodammodo valeant: verba inquam, illa *quæ ædificaverat Salomon*, attento Scripturarum loquendi more, ad primam referri inſtitutionem peroptime poſſe; quandoquidem hujus rei exempla in Scripturis non deſiderentur. Et ſane de Manaſſe etiam habetur (*) *& Altaria quæ fecerat Manaſſes .... deſtruxit Rex*, Joſias nempe. Hæc autem verba ad primam eorum inſtitutionem referenda eſſe quis ſanæ mentis inficiare auſus fuerit, cum aras omnes Idolis erectas a Manaſſe dirutas fuiſſe extra omnem diſputationis aleam ſit poſitum. Quid ni igitur morem hunc retinuerit Scriptura, cum illa quoque verba *quæ ædificaverat Salomon* uſurpavit.

(*) 4. *Reg.* *cap.* 23. *v.* 12.

Egregie profecto, idemq; firmiſſime dictum iis qui ad rerum faciem animum dumtaxat attendunt, medullas verò, intimamque mentem, ac ſenſum nedum non deguſtant, ſed & leviter inſcrutari faſtidiunt. Veritatem vel ego quidem aſſentior habere, & citra omnem dubitationem certiſſimum

mum eſſe, Scripturam aliquando, cum verba illa *ædificaverat*, *fecerat* uſurpat, primam, & ultra nihil, inſtitutionem innuere; putaverim tamen id ita a ſacris Scriptoribus præſtari, ut vel eodem in Scripturæ loco, vel alio ſinceræ eorum verborum ſignificationis admoneamur. Quid vero ſi duplici ex hoc capite exemplum a Manaſſe petitum illud eſſe perhibeam, quod in Salomonis ſuffragium advocari ab eo, qui ſacrarum litterarum oraculis abuti non velit, nullatenus poſſit?

Age: expendamus verba illa *quæ fecerat Manaſſes*. Textus habet adducto in loco, *& Altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis Templi Domini dextruxit Rex, & cucurrit inde....* Horum certe Altarium ne ulla quidem mentio habetur Paralipomenon 2., quo ex loco aras omnes a Manaſſe dirutas fuiſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum proxime (*) vociferabatur; uti legenti textum liquidum erit. *num. 3.* Non ergo verba illa *fecerat Manaſſes* primam redolent inſtitutionem, ſeu, in rem clarius, cujuſpiam rei diruptionem, quam a Conditore ſuo jampridem everſam alius quiſpiam inſtauraverit. Age tamen ſit illud quod a Salomonicæ ſalutis defenſoribus objectum mihi iri intelligo, & *Altaria* iſta generali Paralipomenon loquutione comprehendantur, quemadmodum & meo quidem judicio comprehendi & poſſunt, & debent (*b*); illud ſemper obſtat, quod ita dicatur 4. Reg. *Altaria quæ fecerat....* ut alio ex Scripturæ loco, quod alterum propoſiti mei caput erat Paralip.

(b) Confer, ſi lubet, cum v. 12. cap. 23. lib. 4. Reg. V. 4., & 5. cap. 33. Paralipomenon 2., item hujus Paralip. capitis v. 12. cum 15.

ralip., inquam, 2., omnia per ipſum Manaſſem Idolis ſacra deſtructa fuiſſe aperte edoceamur; quod quidem de Salomone ipſi met adverſarii ſint nobis authores velim, ſi ullibi legatur.

4. Quid ad hæc Salomonicæ ſalutis Patroni: Libri, inquiunt (*) plurimi deſiderantur, in quibus Salomonis geſta bene multa conſcripta fuere. Quid ni igitur unà cum libris, qui interierunt, & Idolorum perfecta a Salomone deſtructio perpetuâ oblivione conſepulta permanſerit? Quod verò libri iſtiuſmodi interierint, duobus Scripturæ locis apertiſſimum, quam quod maxime, eſt: Reg. nimirum 3. cap. 11. v. 41. *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & ſapientia ejus: Ecce univerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis:* & Paralip. 2. cap. 9. v. 29. *Reliqua autem operum Salomonis priorum, & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan Proph.; & in libris Ahìæ Silonitis, in viſione quoq: Addo videntis contra Jeroboam filium Nabat.*

(*) ap. Nat. t. 2. pag. 164. col. 2.

Gravia hæc quidem alicui videri poſſent: ſed fient eorum quæ dicturus ſum comparatione leviſſima. Res eſt pluribus Scripturarum exemplis comprobata, ſingulis Regibus ſuos a commentariis fuiſſe, qui eorum acta in ſingulos dies conſcriberent. Sic geſta Salomonis Nathan, Ahìas, & Addo, quemadmodum proxime ex Paralipomenon obſervare licet, conſcripſere, quæ 3. Reg. 11. *liber verborum*, id eſt, Theodoreto, & Abulenſi ſuffragantibus, factorum, *dierum Salomonis*, vocantur. Sic Roboami Salomonis Filii, æque, ac Abìæ Regis Roboami Filii acta Addo ipſe, & Semejas Proph. in horum Reg. annalia retulerunt, quod quidem his verbis Sacræ pagi-

paginæ inſinuant. *Reliqua autem ſermonum Abiæ, viarumque & operum ejus ſcripta ſunt diligentiſſimè in libro Addo Proph.: Opera vero Roboam prima, & noviſſima ſcripta ſunt in libb. Semejæ Proph., & Addo videntis, & diligenter expoſita* (*). Joſaphat Regis commentarios, annaleſque a Jehu Hanani Filio inſtructos fuiſſe hæc Paralipomenon (*) verba, *Reliqua autem geſtorum Joſaphat priorum, & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digeſſit in libros Regum Iſrael*, luculentiſſimè teſtantur. Oziæ tandem Regis, nec non Ezechiæ geſtorum monumenta Iſaias poſteritati commendavit. *Reliqua autem ſermonum Oziæ*, inquit Scriptura (*) *priorum, & noviſſimorum ſcripſit Iſaias Filius Amos Proph.: Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & (*) miſericordiarum ejus ſcripta ſunt in viſione Iſaiæ Filii Amos Proph., & in lib. Regg. Judæ, & Iſrael*. Jam verò illud neceſſe eſt conſequatur, ad duos maximè poſteriores Regum libros quod attinet (*c*), ſingulorum Regum

acta,

(*) *Lib.* 2. *Paral. cap.* 12. 13. v. 22. & 15.

(*) *lib.* 2. *cap.* 20. *v.* 34.

(*) *Paral.* 2. *cap.* 26. *v.* 22.

(*) *eod. lib. cap.* 32. *v.* 32.

(c) Primum enim a Samuele Proph. (quin & ſecundum, ſi Hebræos audiamus, qui idcirco Samuelis libb. priores duos appellant) primum inquam a Samuele ad mortem uſque ſui ipſius fuiſſe exaratum D. Gregorio, Theodor., Procop., Eucher., Hug., Lyran., Abul., Cajet., Vatabl., Serar., aliiſque paſſim indubia res eſt; a morte autem Samuelis ad finem uſque lib. 2. a Davide conſcriptum cenſent quod reliquum D. Iſidor. lib. 6., Orig. cap. 2.: a Nathan verò, & Gad Prophetis, qui Davidi a Secretis erant, & Commentariis, Bellarm. & Sixt. Sen.; nec niſi quidem graviſſima de cauſſa. Enim Paralip. 1. cap. & v. 29. legimus: *Geſta autem David Regis priora, & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in lib. Nathan Proph., atque in volumine Gad Videntis*.

acta, & rectè pariter, ac nefariè facta ex priſcis eorum Diariis, Chronicis, Commentariis, Annalibus digeſta in hoſce Paralipom. libros per aliquem fuiſſe, quicumque is demum extiterit (*d*).

Super hæc: id etiam attendendum, duobus nempe Paralip. libris ea quæ in libris Regum ex Diariis relata non fuerant contineri, præterea nihil. Teſtis mihi hujus rei in ſuo ad libb. Regum argumento Cornelius a Lapide — *Hinc etiam*, ſic ille, *a Septuaginta vocatur liber Paralip.; qui Hebræis inſcribitur dibre hajamim. id eſt verba, hoc eſt; geſta dierum, quaſi dicat hic liber continet ea, quæ in libb. Regum relicta, & omiſſa ſunt ex iis, quæ in priſcis Regum diariis conſcripta erant*. Teſtis & D. Hieron. ep. ad Domnionem, qui librum hunc *librum intermiſſorum* appellat. Teſtis demum & locus ipſe, quem in Scripturarum volumine libri hujuſcemodi

(d) Quod extremum tum Jeremiæ, cum quarti Reg. caput pro uno eodemque haberi queant Jeremiam eſſe Procop., Iſidor., R. Moſes Kimchſ., Abul., Dion, aliique non pauci arbitrantur. Eadem de cauſſa apud nonnullos, quos inter Sanchez, Iſaias eſt, quod ſcilicet quattuor ejus capp. 36. nimirum, 37., 38., 39. eadem ſint prorſus ac quarti Reg. capp. 18., 19., & 20.; poſt hunc autem, a Manaſſe videlicet, a quo Iſaias peremptus eſt, ad Captivitatem uſque Babylonicam Jeremias. Si Prophetarum indoles, eorumque ſcribendi omnis ratio undequaque ſpectetur rem magis attigiſſe mihi videntur, aut Sixtus Sen. verbo Ezechias, qui hujus viros, quibus ab eodem demandatum fuerit antiqua Regum Diaria colligere, Authores haberi vult: aut ii, qui Eſdram conſtituunt, cujus certè æſtimantur ea, quæ ſub Ciro contigere.

Digitized by Google

di obtinent; non enim alia de cauſſa, quam quod prætermiſſa in libris Regum ſuppleantur ipſis Regum libris continuò attexi non immeritò quiſquam putaverit.

Quorſum verò hæc, niſi ut intelligatur deſperatiſſimo eos uti perfugio, qui illis ſe mænibus tegere nituntur. Quod namque eo Reg. loco dicatur. *Reliqua autem....* vim certè retinet nullam, quin & penitus jacet; ſiquidem Paralipom. libris ſuppletum hiſce reliquis fuerit. Quod verò eadem hæc a Paralipomenon conſcriptore verba uſurpentur, præter iſtud, nimirum non omnia ſingulatim Regum geſta ex Diariis in Codicem hunc fuiſſe redacta, quid aſſequantur aliud plane non video. An & id fortè; quod unius, ejuſdemque rei notitia haud plene ingeratur? Quid profecto ab Hiſtoriografo, qui rei cujuſpiam hiſtoriam accuratius ſibi conſcribendam ſumat magis alienum? Porro quæ a Sacro horum librorum Scriptore (*e*) aut repetuntur, aut adjiciuntur accuratiſſime, & pleniſſime conſcripta fuiſſe nemo eſt unus nonnihil ſui compos, qui non ſentiat. Sentit id D. Hieron. in Ep. ad Domnionem, & Rogatianum: *ad extremum*, inquit præfat. in Paralip., *quod omnis eruditio Scripturarum in hoc continetur; & hiſtoriæ, quæ vel prætermiſſæ ſunt in ſuis locis*, (perpende verba) *vel perſtrictæ leviter hic per quædam verborum compendia expli-*

(e) Eſdra. Vid. in Bibl. Vitrè ad Paralip. libb. & Corn. a Lap. in præf. ad eoſdem, ap. quem Hebr., Lyran., Abul. Jo: Driedo lib. 1. de Script. Eccl., & Sixt. Sen. conſcriptos ab Eſdra hujuſmodi libb. opinantur, his ducti fundamentis, ut affirmare hæc potuerit vitrè de Paral. lib., *quem ab Eſdra ſcriptum conſtans fama ſemper obtinuit.*

(*) *lib. de div. lect. cap.* 2.

explicentur. Sentit & Caſſiodor. (*) *In Paralip.*, ait, *libb. duobus a PP. magna prædicatur utilitas:* (quæ iſta ſit animadverte), *qui veram geſtorum notitiam*, (qualem hic etiam atque etiam attende), *breviter quidem*, *ſed pleniſſime continere noſcuntur*. Deſcribitur & in Paralip. libb., quemadmodum & pluribùs Scripturæ locis Salomonis Idololatria; & pariter nuſquam adjicitur Idolorum deſtructio: quòd ergo in Diariis hujus Regis, Annalibuſque ne verbum quidem rei iſtiuſmodi extaret: non extabat verò, quod re ipſa a Salomone nihil ſimile præſtitum fuerit; neq; enim dicendum, Salomonis Annaliſtas Regis ſui, & tanti Regis tam præclare factum prætermiſiſſe.

Sint tamen hæc levia: quod rem plane conficit, illud mihi videtur: reſponſa videlicet hujuſmodi, ſi ſemel locum apud eruditos obtineant, futurum absdubie; quod plurium Scripturarum veritas nutet, & quæ in certis habentur, jam in incertorum claſſe collocare fas ſit. De Manaſſis ſalute, ne præcepta de meo cudere videar, & generalibus verbis circumvenire adverſarios meos, aut fallere, de Manaſſis inquam ſalute nemo unus eſt ſacrarum litterarum non admodum impertitus qui ambigat. Quid verò ſi oſtendam, & illam reddi incertiſſimam, ſemper ac id reſponſi, *reliqua autem*, tamquam optimus eorum portus, qui ſalutem Salomoni aſſerunt, habeatur. Oſtendo jam, atque ita ut nihil fortaſſe aut dictum veriùs, aut demonſtratum faciliùs videri omnibus poſſit. Etenim, abſolutà per ſacrum Scriptorem Manaſſis nefariè, rectèque factorum hiſtorià, non primùm ipſum è vita exceſſiſſe admonemur, quam ut illud, *Reliqua autem*, medium pœnitentiam inter, & mortem occur-

currat. Series hiſtoriæ iſta eſt *inſtauravit Altare Domini ...* hoc legitur verſu ſexto decimo cap. 3. ſupra vigeſimum lib. Paralip. 2.: *reliqua autem geſtorum Manaſſe .... ſcripta ſunt in ſermonibus Hozai*, ad 18. ejuſd. cap. verſum, & 19. ſequuntur: tandem v. 20. *Dormivit ergo Manaſſes cum PP. ſuis*. Quid ni ergo eodem jure quo Salomonis Patroni *fortè*, inquiunt, *in libris, qui interierunt, Idolorum a Salomone facta deſtructio deſcribitur*, quis itidem dicat, *fortè ſermones Hozai pravum ex huius vitæ finibus Manaſſis exitum deſcriptum habent*. Ita & de Regibus ſingulis, quorum de ſalute haud dubitatur, erit integrum dicere, cum eorum omnium hiſtoriam, ſolùm ut Scripturæ perlegantur, videre ſit hoc eodem fine concluſam; quin & illud, ſi recte ſentio, conſequitur, conſtitui nempe poſſe, de eorum nemine, quorum æternam ſalutem, æternam item damnationem diſertis verbis ſacer Textus non tradat, certam certitudine *morali* vel ſalutem eſſe, vel damnationem. An iſtud autem bonis auribus excipi queat, ii dicant, qui rerum optimi æſtimatores habentur. Ac de hac obtrectatorum claſſe ſatis multa.

5. Nunc iis occurrendum mihi eſt, qui ultro, citroque, credo in ſcopulos hoſce ne impingant, Salomonem Idola, haudquaquam re ipſa disjeciſſe concedunt; at non exinde probari ipſis poſſe arbitrantur Salomonem impœnitentem deceſſiſſe; hæcque primò firmiſſimo ſibi præſidio eſſe deprædicant, quod aut æquis de cauſſis illa concluſerit Salomon, alioſque in uſus converterit; aut ex eo intacta reliquerit, quod populus reputans illum ſenem delirum obſtiterit.

Verum quos hæc moveant, niſi eos, qui definire omnia divinationibus aſſolent, & quæ ma-

lunt, non quæ Scripturæ ſuppeditant interpretamenta imperitis occentant: Age tamen; concluſerit Salomon: Satis ne ſe feciſſe putandum erat Salomoni: Nihil minus. Noverat profectò Salomon, tum Prophetarum dictis, cum Regum, qui ad Idola defecerant reſipiſcentium exemplis non ſatis eſſe Regi Idololatræ, ſi excelſa concluderet, alioſque in uſus converteret. Pœnitentiæ ergo ſi ſenſum habuiſſet ullum, non concluſiſſet modo, verùm & dejeciſſet. Age etiam obſtiterit populus, quod illum delirum ſenem haberet (quamvis hæc de facili dari ipſis a quoquam poſſe haud crediderim, dum modicum in Scripturarum ſit lectione verſatus: an obſtitit populus Manaſſi, cum Idola a ſe erecta repulit, proſtravit, contrivit, an delirum illum habuit ſenem? nuſquam ſane terrarum auditum ſimile eſt.) Age, inquiebam, ea de cauſſa obſtiterit: an idem delirus haberi, & eſſe: idem obſtare, & vincere? Nonne Reges, & maxime potentiſſimi, quemadmodum Salomonem fuiſſe dubitat nemo, populi tumultum coercere; turbas ſedare omnes valent? Nonne quod Aaronis vitio effectum erat, ut Iſraelitæ ad Idololatrìam deflecterent, Moſis unius religione reſtitutum continuò fuit? Cur ni etiam ejuſdem, qui defecerat, religione, quod vim quandam habet majorem, populus ab Idololatria avocaretur: maxime ſi populi indolem, & populi præſertim, ut is procul dubio erat, cui magna inſit de Rege opinio, paullo intimius perſcrutari nos lubeat: ſiquidem comperiemus ad vitium non ſecus ac ad Religionem Regis exemplo facilè deflecti; quod tam verum eſt, ut a priſcis uſque temporibus illud in vulgum emanaverit effatum: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*.

6. At

6. At inquiunt, male huc uſque feriati Salomonis Vindices, ſint hæc ut vis nullius pretii: illud verò quod Idola non deſtruere Idololatrę non pœnitentis argumentum eſſe non poſſit, qua expugnari ratione valeat minime videmus. Cur profecto Ezechiæ, cur Manaſſi crimini datum non eſt, ſi Idola non exturbare culpæ re ipſa alicui eſt vertendum.

Quid non ad hæc ætatis noſtræ cenſores? Diceret profecto eorum quiſpiam, & multum etiam ſi ita ſermonem temperaret: Quod precatus ſemper ſum a Deo O. M., ut abſit verbis meis invidia, hoc me & modò facere velim iſti arbitrentur, mihique etiam atque etiam indulgeant, ſi ad hæc illud Ciceronis (*) uſurpem, *hæc verò quamquam nihilo meliora ſunt, nunc etiam multò deſperatiora*. Ut quid autem paginas implere dicteriis, & vix rationi, aut ne vix quidem, in quo ut plurimum ab immiſericordibus hiſce peccatur, inſiſtere. Qui itaque huic tantum ſtudet, nec ullius nomini invidet ſatis habere debet, ſi oſtendat ea quæ vel a viris magni cæteroquin nominis, & naris ut ajunt emunctiſſimæ in alicujus partis ſubſidium adferuntur, aut levia eſſe prorſus, & homine indigna qui mente utatur aut falſa. Quod ego ſum hic perfecturus. Crimini, inquiunt, & eſt primum eorum, non datur Ezechìæ quod excelſa Salomonis ſolo non æquaverit, id quod majori præditus zelo perfecit Josìas. Hoc profecto quam leve ſit, facile quiſquam, ut arbitror, perſpectum habet, ac cognitum. Etenim quod ipſe non extruxerat, nec ulla tenebatur lege ut everteret: populi verò ſcandalum nullum eſſe poterat: Ezechìæ quippe Religione ſatis monebantur in ſempiternam Idololatrìæ turpitudinem monumenta illa eſſe relicta.

(*) *Fam. 6. ep. ult.*

7. Ma-

7. Manaſſes inſtant, alterum eorum exemplum, extruxerat, & non evertit. Hoc verò illud eſt, quod falſum appello. Atque ut liqueat Scripturarum teſtimonia invicem conferamus. Teſtimonium cui ipſi confidunt 4. Reg. (*) habetur, ibi enim dicitur, & *Altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis templi Domini deſtruxit Rex*, utique Joſias. Alterum quod ego confero ex Paralip. 2. (*) ſic ſe habet, *qui*, hoc eſt Manaſſes, *poſtquam coanguſtatus eſt oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo PP. ſuorum ... & abſtulit Deos alienos, & ſimulachrum de domo Domini, & in Jeruſalem, & projecit omnia extra Urbem*. Jam verò niſi hæc invicem pugnare velimus, nemo profecto non videt id percepti non habere quod 4. Reg. de aris a Manaſſe conſtructis refertur, ut iſtæ etiam a Manaſſe projectæ non fuerint, ſed primam dumtaxat inſtitutionem per illa verba indigitari; quam cum, & nihil magis imitatus eſſet Filius ejus Ammon factum ſit, ut Idola illa denuo reficerentur; quod quidem prætorquamquod ſatis ſuperque conſtat ex iis verbis, *& projecit omnia extra Urbem* (*), eodemmet Paral. loco haud obſcurè colligitur; quandoquidem V. 2., & 3. ſupra vigeſimum de Ammone dicitur, *fecitque malum in conſpectu Domini ſicut fecerat Manaſſes Pater ejus, & cunctis Idolis, quæ Manaſſes fuerat fabricatus immolavit, atque ſervivit, & non eſt reveritus faciem Domini ſicut reveritus eſt Manaſſes Pater ejus, & multò majora deliquit*. Patet ergo per ea verba *quæ fecerat Manaſſes* (*) primam nonniſi innui inſtitutionem; quod etiam atque etiam ex teſtimonio proxime allato confirmare lubet. Etenim, ſi Superi me adjuvent, nonne invicem pugnarent,

quæ

(*) *Cap.* 33. *v.* 12.

(*) *Cap* 33. *vv.* 12., & 15.

(*) Loco ex *Paral. prox. cit.*

(*) 4. *Reg.*

Digitized by Google

quæ de Manaſſe, & Ammone hoc Paral. loco afferuntur, niſi iſthæc *cunctis Idolis quæ Manaſſes* fuerat fabricatus ad primam referantur inſtitutionem ? ita mehercle ut nihil magis . Eodem igitur jure ne invicem pugnent Scripturarum loca tum ex Reg. lib., tum ex Paral. deſumpta, ad Manaſſem quod pertinet, de prima inſtitutione verba illa eſſe, nullatenus de hoc quod a Manaſſe & Altaria illa communi aliorum ruinæ damnatæ non fuerint . Ex quibus liquido jam conſtat falſum illud eſſe quam quod falſiſſimum Manaſſem Idola neutiquam deſtruxiſſe ; idque proinde ſuo in loco conſiſtere, quod a me dicebatur, Idola nempe non deſtruere impœnitentis Idololatræ eſſe argumentum .

Verùm liberalius etiam agamus, quàm Scriptura ipſa ritè percepta integrum facere videatur . Demus, inquam, *Altaria* illa, quæ in duobus atriis Templi Domini Manaſſes collocarat, reapſe a Manaſſe unà cum aliis extra Urbem non fuiſſe projecta, & quod neceſſe eſt, hoc ſemel admiſſo, vel illud ultro demus, citroque, eum non eſſe audiendum, qui ad id perveniendi cauſſa, ut, Idola non deſtruere impœnitentiæ eſſe veſtigium, apertum relinqueret, ita argumentaretur: Non licebat Hæbreis, niſi in vitio, & eo quidem graviſſimo eſſe vellent, ex hoſtium ſculptilibus quacumque de cauſſa (*f*) aut aliquid aſſumere, aut retinere: magis ergo magiſque ei non licuerit, qui Idololatrlæ affectu, ductus non ab hoſtibus comparaverit, ſed volens, lubenſque Idola confecerit . Quanta verò hujus argumenti ſit vis, ex quo & quantum ipſis concedam adverſarii mei probe perſpiciant mihi

(f) Nec prædæ ſcilicet nec avaritiæ quod ex legis textu, qui continuò ſequitur, liquet.

Digitized by Google

mihi videtur non prætermittendum. Sane primæ harum propoſitionum veritas, in qua totum argumenti iſtius robur continetur, in dubium non revocabitur: dum hinc quod Deuteronomii 7. ſtatum legitur ante oculos conſtituatur (*g*): iſtinc, quod Theologorum omnium conſenſione firmiſſimum eſt, legem nempe graviſſimis verbis contentam, eandemque ſub graviſſimis comminationibus latam graviter violari, quoties a quopiam violari contigerit, ſiquidem hæc ſit interpretandarum legum, num ſub gravi obbligent, ratio, ac diſciplina, ut ad verba, & ad comminationes, quibus continentur, attendatur. Nihil, ut inquiebam, horum locum habeat. An exinde illud proficiſcitur, Idola non deſtruere impœnitentiæ haud eſſe veſtigium! nihil absdubiè minus. Audiant enim me ſi non graventur, qui Manaſſis exemplum obtrudunt, ejusque pœnitentiam Scripturarum oraculis commendatam objiciunt.

Nonne ita illam commendant, ut facilè intelligatur nullam futuram eſſe hujusmodi laudem, ubi Manaſſes ſacra gentium Diis delubra ſolo non æquaſſet? Nonne publice pœnitens, quemadmodum & populo coram peccarat, quantum ſatis

(g) *Sculptilia eorum igne combures*, per quæ ratio prædæ ſummovetur: non enim hoſtium ſculptilia aſſequi poterant, niſi jure victoriæ: *non concupiſces argentum, & aurum de quibus facta ſunt*: per hæc & avaritiæ affectus damnatur: quæ conſequuntur graviſſima verba & comminationes præ ſe apertiſſime ferunt: *nec aſſumes ex eis quidquam ne offendas propter ea quia abominatio eſt Domini Dei tui: nec inferas quidpiam de Idolo in domum tuam, ne fias anathema ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum, ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.*

ſatis eſſet pœnitentiæ ſuæ argumentum omnibus feciſſet, vel illis *aris*, *quas in duobus atriis templi domus* Domini collocarat, minime ſubverſis, cum pro majori parte prophanæ Religionis veſtigia deleverit? An id judicii, ſemel ita ſe geſſerit, in vulgi etiam animum non induxiſſet, ſe idcirco aras illas communi damnatione non fuiſſe complexum, quod eas cum peccati ſui teſtes, tum jugis pœnitentiæ incitamenta vellet habere? Non dubitaverim ſane. Ut quid itaque Manaſſis exemplum? Simile quidpiam de Salomone è pœnu ſuo proferant, & tunc ſalutis ipſius patrocinium vel ego ſumam. Dum autem ad illa deſperatorum perfugia, ad *fortaſſe*, inquam, ad *librorum jacturam*, & leviſſimi hujus generis ſimilia advocare me non deſtiterint; mihi met ipſi nuſquam deero, quin conſtantiſſimè aſſeram, hæc cum iis collata, quæ Salomonem nulla actum pœnitentia hinc emigraſſe ſuadent, certitudinem damnationis ipſius, eam quidem, quam contendo, *moralem* videlicet, nequaquam infringere.

8. At verò ad hæc quid habeant audiamus. Malè, inquiunt, nimium cauſſam ſuam agunt, qui ex eo præſidium repetunt, quod peccata quidem Salomonis Scriptura commemoret, de ulla autem ipſius pœnitentia ne verbum quidem habeat. Quot enim ſunt, quorum peccata in vulgum edunt ſacræ litteræ, pænitentiam non item? Primorum Parentum: Sampſonis: (*) Lothi, ubinam Scripturarum quemadmodum peccata, ita & pœnitentiam deſcriptam habemus? His adde, inquit de Turre (*) Judam Patriarcham, Nohemique FF. Quis verò dixerit hoſce omnes communi damnatorum carcere fuiſſe concluſos?

Temperare mihi hoc loci non poſſum, quin verba

(*) *Ap. Nat. ab Alex. t. 2. p. 64. col. 2.*

(*) *Tract. 1. ſuarum inſtitut. ad Verbi Dei q. 1. art. 14. n. 18.*

Digitized by Google

verba illa Ciceronis uſurpem, (*) *non dubitabo jam eos primum inertiæ condemnare, poſt etiam impudentiæ:* inertiæ inquam, quod Scripturas indiligenter nimis, dixerim & oſcitanter evolverint; impudentiæ verò, quod temere adeo, ac præfidenter hæc nobis oblatrent, quæ niſi ipſis probavero, eadem in me congerant velim. Nunc tamen illud primum faciendum mihi eſſe arbitror, ut latentem hac in eorum reſponſione errorem ipſis detegam, dicamque, quod olim Cicero in rem aliam, (*) *hoc uno*, pro præſenti, *eos* crimine condemnem neceſſe eſt, quod ex Scripturarum ſilentio nullum trahi poſſe argumentum videantur innuere.

Errant igitur ſi ita eſt, & turpiſſime errant præſtantiſſimi viri, qui ex Scripturarum ſilentio aut affirmant aliquid, aut diffitentur. Errant graviſſimi nominis Scriptores, ex Dominicana Familia Natal. ab Alex., ex Diſcalceata Liberius a Jeſu, cum inter argumenta, quibus Henochum non e vivis fuiſſe morte ſublatum, ſed a Deo tranſlatum in humanis adhuc agere vindicare adnituntur, illud etiam primo loco conſtituunt, *verbum mortis*, annorum Henochi cenſu abſoluto, *ſubticeri*, quantumvis tamen dubiam ſatis ſignificationem præſeferat phraſis, qua tranſlatio hujusmodi adumbratur, *tulit enim Deus*, quod de Henocho dicit Scriptura (*), etſi aliquando hanc viventis tranſlationem ſatis dilucide exprimat, ut illa Eliæ ad Eliſeum (*) *Poſtula .... antequam tollar a te*, & rurſus (*) *ſi videris me, quando tollar a te* ... inficiari re tamen vera non poſſumus Abenezræ, Hiſcuno, Rabbiniſque aliis, quos Manaſſe Ben-Iſrael (*) laudat, nonnunquam etiam ex hac vita deceſſionem haud ſubobſcure indicare. *Mortem* utique ſpectabat Elias,

(*) 2. *de Oratore*.

(*) 2. *Verr.*

(*) *Gen. cap.* 5. *v.* 23.

(*) 4. *Reg.* *v.* 9.

(*) *ibid. v.* 10.

(*) *lib. de fragil. hum. ſect.* 12. *art.* 17.

lias, cum ait (*) *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. De morte* Davidi erat ſermo, cum protulit (*) *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu Inferi, cum acceperit me*. Non de ulla ſane viventis tranſlatione cogitabat Job, ut dixit (*) *Neſcio enim quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me Factor meus*, hæc inquam quantumvis occurrerent, adhuc eum in vivis agere ſtatuerunt: tam magni ſilentium unius verbi apud ipſos eſt habitum (*h*). Errat Liberius, & cum eo Innoc. 3. (*), Ang. Præc. (*), Bellarm., aliique præclari ſubſellii Theologi complures, quos inter Salmaticenſes (*), cum ſinguli ex unius, aut alterius voculæ ap. Apoſt. ſilentio celebrem illam de uxorato ad fidem converſo, *num ſuperſtite Infideli uxore conjugem ducere Fidelem poſſit, definiunt*. Verba Apoſtoli in rem hanc ſunt (*) *Iis autem qui Matrimonio juncti ſunt præcipio non ego ſed Dominus uxorem a viro non diſcedere .. quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem*

(*) *3. Reg. 19. v. 4*

(*) *Pſal. 48. v. 16.*

(*) *32. v. 12.*

(*) *Cap. 5. de diverſis.*

(*) *3. p. q. 59. art. 4. in corp.*

(*) *Tract. 9. de Matrim. cap. 4. dub. 3.*

(*) *1. ad Cor. cap. 7. vv. 10. 11. 12. 13. 15.*

D 2

(h) Præſtat audire. *Si Moſes*, inquit Nat. ab Alex. T. 1. Diſs. 5. p. 78. col. 2., *ablationem Henochi per mortem, non per aſſumptionem ad ſe cum corpore, & anima intellexiſſet, non mutaſſet loquendi modum. Cur enim de aliorum Patriarcharum obitu loquens eadem verba non uſurpat, ſed iſta* & mortuus eſt. *Id autem de Henocho non ait, ſed* ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Hæc Nat. Mortui *dicuntur cæteri*, argumentatur Liberius a Jeſu, T. 6. in App. diſſ. Scriptur. 3. num. 39., Henoch non apparuiſſe, Henoch raptus, *ſeu ut Septuaginta legunt*, tranſlatus. *Palmare hocce loquendi diſcrimen quid aliud innuit, niſi Henoch inter mortuos ſuperſtitem fore?*

rem non dimittat . . . Nam cæteris ideſt Infidelibus, ego dico non Dominus: Siquis frater uxorem habet Infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam . . . . Et ſiqua Mulier Fidelis habet virum Infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum . . . Quod ſi Infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt Frater, aut Soror in hujuſmodi. Quid, quæſo, ex his eliciunt prælaudati in Theologià Magiſtri, factum ſcilicet a Chriſto Domino privilegium, quod per Apoſtolum explicatum manet, alterutri ex Infidelibus uxoratis, qui ad fidem accedat, ut aliud ineat cum fideli Matrimonium? Qua iterum rogo de cauſſa? quod Apoſtolus, cum de Infidelibus ſermonem inſtituit, abſolute pronunciet, *diſcedat*, non illud adjungat, *manere innuptam:* quod de ſecundo Matrimonio, non id aſſerat quod de primo (*i*). Hæc ipſi in re graviſſima: obſtent licet

(i) *Clariùs evincitur*, inquit Liberius tom. *6.* Controv. 3., *ex quo Apoſtolus id Fidelibus Conjugibus denegat, quod Infideli converſo concedit: atqui illis vetat vinculi ſolutionem: ergo iſti concedit: Sic ibid. habet v.* 10. Iis autem qui Matrimonio juncti ſunt præcipio . . ., quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. aut viro ſuo reconciliari. *Hæc nec repetit, nec aſſerit in caſu converſi ad fidem, ſed abſolute enunciat.* Si diſcedit diſcedat. *Apoſtolus*, ajunt Salmaticenſes, *ponit differentiam inter ſeparationem Fidelium ex juxta cauſſa, & Infidelium propter converſionem ad fidem. Et de primo aſſerit quod Mulier* maneat innupta, *quando vir diſcedit ab ea, quod non aſſerit in ſecundo: ergo quamvis ex diſceſſu conjugis Fidelis non diſſolvatur Matrimonium niſi quoad* torum, *ex diſceſſu tamen Infidelis denotat manere diſſolutum quoad* vinculum.

licet quamplurima : obſtet, quod illud Apoſtoli *non enim ſervituti ſubjectus eſt Frater*, *aut Soror* in hujusmodi explicatum ſatis videatur ex hiſce *Siquis Frater uxorem habet Infidelem*, *& hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam. Et ſiqua mulier Fidelis habet virum Infidelem*, *& hic conſentit habitare cum illa non dimittat virum*, ut ſcilicet de cohabitationis, non, quemadmodum ipſi, ex quo illud *manere innuptam*, prætermittatur, conjiciunt, de vinculi ſervitute, ſit Apoſtoli ſenſus : obſtet quod generali lege ſuperius inductà per ea verba, *iis autem qui matrimonio juncti ſunt* ... quid diſcedenti aut Mulieri, aut viro incumbat, ſatis & abunde explicuerit : obſtet quod intentum ab Apoſtolo diſcrimen Fidelium inter, & Infidelium Matrimonium aliud non eſſe videatur, quam quod cohabitationis ſervituti non adeo ſubjiciatur Fidelis cum Infideli conjunctus, ac re ipſa Fideles conjuges ſubjiciantur : obſtent jura (*), Concilia (*), quæ perpetuum Matrimonii, Fidelium illud fuerit, aut Infidelium, indiſſolubilem nexum definiunt ; nec non & ipſæ Scripturæ : *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum*, *& matrem ſuam*, *& adhærebit uxori ſuæ* ... (*) *Quod ergo Deus conjuxit homo non ſeparet* (*) *Qui dimiſerit uxorem ſuam*, *& aliam duxerit mæchatur* (*). *Mulier vivente viro alligata eſt legi* (*) : hæc autem lex : His *qui matrimonio conjuncti ſunt præcipio non ego ſed Dominus uxorem a viro non diſcedere*, *quod ſi diſceſſerit*, *manere innuptam* ... *& vir uxorem non dimittat* (*) : obſtet denique, quod, eſto hiſce de cauſſis in varias ſententias DD. abierint (ut hæreticos omittamus, quibus nullo pacto indiſſolubilitas Matrimonii probatur.

(*) *Cap. Placuit. 32. q. 7. cap. fin. de condit. appoſit.*

(*) *Afric. can. 70. Milev. can. 17. Agath. can. 25. Trid. ſeſſ. 24. cann. 5. & 7.*

(*) *Gen.* 2,

(*) *Matth.* 19.

(*) *Marc.* 10., *& Luc.* 16.

(*) *Rom.* 7., *&* 1. *ad Cor.* 7.

(*) *Rom.* 7., *&* 1. *ad Cor.* 7.

tur (*k*)) atque ex Juriſtis nonnulli (*) quibuſcum Michael de Medina (*), nonniſi ex jure Pontificio indiſſolubilitatem hanc derivarint, alii ex uno jure divino (*), qui etiam partim ex jure poſitivo, ex naturali partim, nuſquam ex ſola matrimonii ipſius natura (*); tamen ſive jura, ſive Scripturarum oracula, ſive graviſſimorum Authorum, Aquinatis, dico, (*), Bellarmini (*), Gonetti (*), Bonacinæ (*) aliorumve momenta æqua in lance conſtituantur, haud dubium quin illud firmius, rationique multò proximius quod nexus iſtius perpetuitas ex ipſa cojugii natura proprio veluti ex fonte efluat, atque promanet. Errat poſtremò infinitus fini enim, ſi ſingula quæ ex ſilentio Scripturarum certa apud Authores ſunt nobis, perſequi, ac commemorare velim, errat, inquam, hominum univerſitas, cum malum vulgò Latronem ad infera fuiſſe loca detruſum habet in certis, uno hoc ducta conſilio, quod momenta quidem omnia perditionis ipſius ob oculos Scriptura conſtituat, ſalutis vero ne minimum quidem. Illud igitur, ex ſilentio Scripturæ generatim trahi haud poſſe argumentum, quam leve ſit, verbis utar a Tullio in rem aliam uſurpatis (*) *ſatis eſt diligenter attendentem penitus videre*.

9. Refero me nunc ad ea, quæ ex Scripturis aſſeruntur, hominum exempla, quorum ita narrantur peccata, ut pœnitentia reticeatur, neque idcirco damnatis accenſeri æſtimatur. Atque ut ab Adam initium ducam: quam meritò indiligentiæ, oſcitantiæ, nec non temeritatis eos arguerim

(*) *Gloſs. in cap. ex pub. de converſ. conjug.*
(*) *lib. 5. cap. 89.*
(*) *Abul. 1. Reg. cap. 8. qq. 97. 103., &c 112. Hiſpal. diſp. 27. q. 1. art. 2. Franc. diſp. 6. n. 8.*
(*) *Sanch. lib. 2. diſp. 13. n. 7. aliique quos laudant Coninch. diſp. 26. dub. 2. num. 11. Perez. diſp. 20. ſect. 20 n. 4. Trull. lib 7. cap. 4. dub. 1. n 3.*
(*) *3. p. q. 67. ar. 1. & 3. cont. gent. cap. 122. & in 4. diſt. 33. q. 2. art. 1.*
(*) *loco ſup. laud.*
(*) *diſt. 5.*
(*) *q 2 punc. 11. n. 2.*
(*) *Tuſcul. qq. lib. 1. edit. Venet. antiq. p. 528.*

(k) Quos adv. fuſe æque, ac docte ex Jeſuitica Societate Bellarm. lib. 1. de Matrim. cap. 12., ex diſcalceata Dominicus, tom. 5. ſect. 10. cap. 23.

guerim facilè perſpicit, qui judicium de Adami ſalute laturus & uno in Geneſeos libro non ſiſtat, & cum Ruperto Abbate Sapientiæ librum a Canonicis non expungat, quem tunc temporis ipſum expunxiſſe mirum eſſe non debet, nondum enim Eccleſiæ, quemadmodum in præſentiarum, acceſſerat Canonicitatis iſtius definitio. Porro Sapientiæ capp. 9., & 10. extat Principum hominum ſalutis teſtimonium, quo luculentius deſiderari haud poſſit: id autem eſt. *Per Sapientiam ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine a principio. Hæc illum qui primò formatus eſt a Deo Pater Orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Hinc D. Aug. ſibi ſemper præſens in iis, quas ad Scripturarum mentem aſſequendam & neceſſarias ſemper duxit, & ſcripto tradidit, regulis, inter alias ut Scripturam Scripturâ illuſtremus (*l*) litterâ ad Evodium datâ (*) in (*) 99. eos quos ſuo ad inferos deſcenſu Chriſtus eduxit, *& de illo quidem*, ait, *primo homine*, *Patre generis humani*, *quod cum ibidem ſolverit*, *Eccleſia fere tota conſentit*, *quod eum non inaniter*

(l) Lib. 2. de Doct. Chriſt. *Magnificè igitur, & ſalubriter Spir. S. ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum reperiatur;* & poſt pauca, *tum verò factâ quadam familiaritate cum ipſa lingua Scripturarum, in ea quæ obſcura ſunt aperienda, & diſcutienda pergendum eſt, ut ad obſcuriores loquutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant.*

Digitized by Google

ter credidiſſe credendum eſt, undecumque hoc traditum ſit; etiamſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur authoritas. Quanquam illud quod in lib. Sapientiæ ſcriptum eſt: Hæc illum qui primò formatus eſt &c. *magis pro hac ſententia quam pro ullo alio intellectu facere videatur.*

Jam ſi ab adverſariis meis clarum hujuſmodi de Salomonis ſalute teſtimonium ex alio Scripturarum loco mihi velim depromi, cauſſa cadent. Verùm temperantius adhuc agere lubet: Aliquid ſaltem ex ipſo Salomonicæ hiſtoriæ contextu ſimile ei proferant, quod ex Gen. ipſo in Adamicæ ſalutis præſidium proferri poſſe crediderim. Quam meritò verò, & quid illud, Irenæum præſtet conſulere: *Propter hoc*, inquit (*) *& in initio tranſgreſſionis Adæ, ſicut enarrat Scriptura, non ipſum maledixit Adam, ſed terram in operibus ejus, quemadmodum ex Veteribus quidam ait; Quoniam quidem tranſtulit Deus maledictum in terram, ut non perſeveraret in homine. Condemnationem autem tranſgreſſionis accepit homo tædia, & terrenum laborem, & manducare panem in ſudore vultus ſui, & converti in terram, ex qua aſſumptus eſt. Similiter autem & Mulier tædia, & labores, & triſtitias partus, & ſervitium, ideſt ut ſerviret viro ſuo, ut neque maledicti a Deo in totum perirent, neque ſine increpatione perſeverantes Deum contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in Serpentem qui ſeduxerat eos.* His adde ruborem, tremoremque, cum patrati ſceleris eos Dominus objurgavit, quorum ne apud Salomonis hiſtoriam veſtigium ullum? minime ſane. Mitius nihilo tamen minus: hoc ut minimum, demonſtrent conſentire, uno, aut altero dempto, in

(*) *lib.* 3. *adv. Hæreſ. cap.* 35.

Salo-

Salomonis ſalutem PP. omnes, quemadmodum, ſi unum demas Rupertum, qui tamen, Nat. ſi audiamus (*), a temeritatis nota eos non abſolvit, qui Adamum ſalvum eſſe non definirent, & Scholam agnoſcit, ubi primum hæc aſſerta eſt opinio, ſectam ſcilicet Encratitarum, inquiens *Nequis tamen temere definiat, conſtat & hoc (ut Eccleſiaſtica refert hiſtoria) ab Encratitis Hæreticis inventum eſſe, quibus Tatianus Author extitit*, quemadmodum, inquiebam, de Adami ſalute aſſeverare integrum eſt; Hanc enim & Irenæus (*), & Tertullianus (*), & Origenes (*), & Epiphanius (*), & Ambroſ. (*), & Hieron. (*), & Aug. (*), & Cypr. (*), & Leo (*) teſtantur: Demum Philippus Abbas bonæ ſpei, D. Bernardo coęvus ſingulari libro quem de primi hominis ſalute inſcripſit omnium maxime demonſtrat.

Ut quid ergo Adamum nobis objectitant, cum nullum ſit de ejus ſalute ſilentium, ſi ad alia Scripturarum loca nos conferamus; ſin verò in eo ipſo Geneſeos vel conſiſtamus, longe ab illo ſit diſſitum, quod de Salomonis ſalute ſervatur? Profecto ſi non inertis, & impudentis hominis eſt hæc & his ſimilia objicere, eſt certe & eruditorum patientia, & imperitorum inſcitia abutentis. Audiſtin? Videor tibi ab initio rei hujus ad exitum uſque cenſoriam perſonam abſolutiſſimè egiſſe? ita profecto, ut mei pœne ipſius oblitum me eſſe ſuſpiceris. Non eſt ità vero. Sed ut intelligas quam facile ſit in conviciis ingenium. Totum id enim neq; inertiæ, neque dementiæ unquam dabo, ſed cuidam verius ingenitæ magnis ingeniis ſcribendi libidini, quę ſi nunquam dominata eſſet, paucioribus magis gauderet litteraria Reſp. monumentis, quam multis.

(*) *Tom. 3. p. 559.*

(*) *lib. adv. Hæreſ capp. 28. 34. 35. 39.*

(*) *lib. 2. cont. Marcion.*

(*) *tract. 25. in Matt.*

(*) *Hæreſ. 46.*

(*) *lib. 5. Ep. 19. & lib. 10. in Luc. cap. 23.*

(*) *Ep. 17. nom. Paulę, & Euſtoch. ad Marcellam.*

(*) *citat. epiſt. poſtr. tamen edit. 164.*

(*) *lib. 2. teſtim. adv. Jud.*

(*) *Serm. 21., ſecundo de Nat. Dñi cap. 1.*

10. **Ac de Adamo hactenus : Samſonem modo** inſpiciamus . Eſto illud , quod in Samſonis hiſtoria , cum ad ejus mortem ventum eſt, diſertis verbis pœnitentia ipſius haudquaquam tradatur . An non & hoc loci ita ſilet Scriptura , ut tamen de illa quantum ſatis eſt ei qui ſciens , ac prudens cæcutire non velit , verba faciat ? Enim verò hæc , quæ jam jam unà cum Philiſtæis opprimendus profatus ex animo eſt, *Domine Deus memento mei , & redde mihi fortitudinem priſtinam , Deus meus , ut ulciſcar me de hoſtibus meis , & pro amiſſione duorum luminum unam ultionem recipiam* , amicitiam ſe jam iniiſſe cum Deo luculentiſſimo ſunt teſtimonio ? *Non enim invocaſſet* , egregiè D. Paulinus (*) *ille vir Dominum in ſuæ virtutis auxilium , niſi mentis oculos habuiſſet incolumes , quibus lumen eſt Chriſtus , in cujus lumine videbimus lumen* . An non ipſa reddita fortitudo quemadmodum acceptum Deo hominem , ita & acceptam ejus orationem conteſtatur ? *Et apprehendens* , inquiunt continuo ad ſuperius dicta Scripturæ , *ambas columnas , quibus innitebatur domus , alteramque earum dextera , & alteram læva tenens ait , moriatur anima mea cum Philiſtiim , concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes , & ceteram multitudinem , quæ ibi erat , multòque plures interfecit moriens , quam ante vivus occideret* ; quibus ſi permoti quotquot ex PP. de Samſone ſcripſerunt , laudatus Paulinus (*), Epiphanius (*), Bacchiarius (*) , Ambroſius (*), Auguſtinus (*) , perpetua eum ſalute donatum eſſe haud dubitarunt mirum eſſe non debet . Videant ergo obtrectatores noſtri aliud quiddam eſſe , quod diſertis verbis res aliqua a Scriptura non tradatur , aliud quod nulla ex parte indigitetur :

(*) *Ep. 23.*

(*) *ſupra.*
(*) *Hæreſ. 30. quæ eſt Ebionit.*
(*) *in Ep. ad Januar. de recip. lapſ.*
(*) *ep. 24.*
(*) *lib. 1. de Civ. Dei cap. 21. & 26., & lib. 1. con. Gaud. cap. 31.*

tetur, aliudque eſſe judcium, quod de iſto, ac
de illo Scripturarum ſilentio ferri prorſus opor-
teat. Si auream illam, bono animo ſi valent me
audiant, ſi auream illam D. Aug. regulam (*), (*) *lib.* 3.
quod ſi ambæ, vel etiam omnes, ſi plures fuerint, *de Doctrin.*
hiſtorię partes ambiguitatem ſecundum fidem (Fidem *Chriſt.*
hic ſumas velim latiori quadam ſignificatione) *ſo-*
nuerint, textus ipſe ſermonis a præcedentibus, &
conſequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in
medio poſuerunt, eſt conſulendus, ut videamus
cuinam ſententiæ de pluribus, quæ ſe oſtendunt,
ferat ſuffragium, eamque ſibi contexi patiatur; ſi
hanc inquam regulam præ oculis habuiſſent, ve-
niſſet ne ipſis unquam in mentem, ut Samſonis
exemplum obtruderent? Quid verò longius ab
ipſis abfuiſſet, ſi alteram illam, quam ſumus ex
Auguſtino proſequuti (*) de illuſtranda ex pla- (*) *num.* 9.
nioribus locis Scriptura? Etenim quid apertius
apud Apoſtolum, quam Samſonis unà cum Su-
peris invidenda ſocietas? *Deficiet me tempus*, ita (*) *cap.* 11.
ille ad Hæbreos (*) *narrantem de Gedeon, Ba-* 32. 33.
rac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Pro-
phetis, qui per fidem vicerunt Regna, operati ſunt
juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Quam hic
expatiarentur ii, qui nihil prætereunt, quod cen-
ſoria virgula non plectant. Nonne eſſet audire:
Quis mihi jam hic jure ſuccenſeat, ſi quod olim
de amore ſcripſit Cic. (*), de hoc eorum exem- (*) *Tuſcul.*
plo exſcribam: *totum profecto iſtud tantæ levita-* *qq. lib.* 3. *e-*
tis eſt, ut nihil videam, quod putem conferendum. *dit. Ven. an-*
O præclaram emendatricem ſententiæ noſtræ erudi- *tiq. p.* 528.
tionem, *quæ* exemplum hocce, *ut Poetica in con-*
cilio, Deorum amorem flagitii, & levitatis au-
thorem, in momentorum graviſſimorum agmine
collocandum putet! Verùm tàmen verò nomme
ſatius eſt hoc ipſis fieri nullo dicente perſpe-

 ctum?

ctum? Etenim neceſſe eſt, quemadmodum habet idem Cic. in Luculo, *ut lancem in libra ponderibus, ſic animum perſpicuis cedere.*

11. Illud modo an plus momenti habeat, Loth dico exemplum, videndum eſt. Quam in rem ſi illud contendere velim adverſariis Lothum peccati alicujus reum haud fuiſſe, quamvis re ipſa probari nemini poſſint aut Filiarum proſtitutio, aut ebrietas, aut demum cum Filiabus commixtio, quod hæc naturâ ſuâ ex flagitioſiſſimarum rerum genere ſint, videar profecto iis, qui dicunt ſe omnia credere ei, quem judicent eſſe ſapientem, hominum audaciſſimus. Etenim cum hac ſuper re graviſſimi nominis apud litteratorum cœtum, Natalis, dico, ab Alexandro, qui ſane in Eccleſiaſtica, quam ſuſcepit, Provincia ita ſe geſſit, ut diligentiam admirentur omnes, ingenium agnoſcant, cum inquam is totus in eo fuerit, ut omnem Lothi criminum vindiciis aditum obſtrueret, quotus ille, inquient, tantuſque futurus eſt, qui condemnatum hominem tanti viri ſententiâ valeat abſolvere. Verùm ſi pediſſequi iſti (pediſſequos autem eos voco, quibus Accademię ratio non probatur, quos adverſus elegantiſſimè Cicero ut multa (*m*)) parumper aſſenſum

(m) in Lucullo: *hoc autem liberiores, & ſolutiores ſumus, quod integra nobis eſt judicandi poteſtas: neque ut omnia quæ præſcripta, & quaſi imperata ſint defendamus neceſſitate ullâ cogimur. Nam cæteri primùm tenentur adſtricti, quam quod eſſet optimum judicare potuerint: deinde infirmiſſimo tempore ætatis aut obſecuti amico cuipiam, aut unâ alicujus quem primum audierunt oratione capti de rebus incognitis judicant*, quod ii præſtant ætate hac noſtra, malè audiam in his

ſum ſuum velint ſuſtinere unum horum ſum ipſis probaturus, aut in iis omnibus Lothum non peccaſſe, Scripturas ſi vacuo animo perveſtigemus; aut rem eſſe ſatis dubiam, Authores ſi ſpectentur: tandem illud certiſſimum hujuſmodi eſſe que de Lotho ſacræ litteræ ediſſerunt, ut cum iis, quæ de Salomone, ne latum quidem unguem conferri poſſe videantur.

Primum ſic demonſtrandum aggredior ex ipſius Lothi verbis, quæ ex ſubjecto textu excerpo (n). Ea enim *nolite malum hoc facere*, & illa *etiam dummodo viris iſtis nihil mali faciatis*, & quæ ſequuntur, quod magni eſſet apud ipſum hoſpitalis gratia, quin & gravius quiddam illam violare, quæ barbaris quoque nationibus ſancta eſſet, quam Filias abutendas tradere aperte manifeſtant: rurſus ea *quæ necdum cognoverunt virum*, animi ſpectantis in minus quod erat malum ſecundum naturam potius, quam eam adverſus coire, certe ſunt. Quid igitur judicii, quod æquius ſit, & a natura ipſa rerum petatur, feramus? An culpæ dabimus ei, quem in magna animi perturbatione fuiſſe neceſſe

his apud nonnullos vel ego ipſe ſentio, *at quis prohibet dicere verum*, qui libellum, quem de Fabella Conſtantiniani Ordinis inſcripſit vir cæteroquin ſpectatiſſimus, patulis ut ajunt ulnis excipiunt) *& ad quamcumque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati ad eam tamquam ad portum adhæreſcunt*.

(n) Gen. cap. 19. vv. 7. 8. *Nolite quæſo*, ita Loth ad procaces Sodomitas, *F. F. mei nolite malum hoc facere. Habeo duas Filias, quæ necdum cognoverunt virum; educam eas ad vos: & abutimini eis ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei.*

neceſſe eſt: quem rerum facies in falſam mentis ſententiam facile pertrahere potuit, ut ſcilicet licere illud minus malum arbitraretur: quem demum hoſpitalis gratia in omne latus occupabat? Si caſus ullus eſt, in quo excuſari vel a graviſſimis criminibus homines poſſint, is mihi videtur eſſe. Quid verò quod præter hæc adminicula, quibus ex ſubreptione, ex falſo judicio hæc præſtitiſſe juſtum hunc Scriptura multà ex parte ſignificat, alia integritatis ipſius momenta ſatis, ne dicam etiam abundè, ſuppeditat. An non illud hujuſmodi, quod lecto-
(*) *ibid. v.* 10. rum hoſpitum (*) opera a ſodomitarum vi ſub-
(*) *ibid. v.* 11. ductus fuerit: percuſſi qui foris aderant, ita ut (*) oſtium invenire non poſſent? Nonne il-
(*) *ibid. v.* 12. lud, *Habes hic* (*) *quempiam tuorum generum, aut Filios, aut Filias, omnes qui tui ſunt educ*
(*) *ibid. v.* 15. *de Urbe hac:* & illud itidem, *Surge tolle* (*) *Uxorem tuam, & duas Filias quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere Civitatis*, quę verba, fallar turpiſſimè, ſi non hunc ſenſum reddant, *ne & tu* ſcilicet cum ſis juſtus, *pariter pereas* communis ſceleris cauſſa. Ipſa Angelorum ſollicitudo de Lotho educendo: ſollicitudinis ipſius ratio, quod uni de tota multitudine parceret Dominus, utique propter juſtitiam (*o*): Lothi ipſius ad Dominum deprecatio: perbenigni ad deprecationem Domini ipſius affatus (*p*) nonne

(o) cap. 18. v. 32. *Decem juſti ſi inventi fuerint, non delebo propter decem.*

(p) cap. 19. vv. 13. 14. 15. &c. *ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam Urbem pro qua loquutus es: feſtina & ſalvare ibi: quia non potero quidquam donec ingrediaris illuc*, quæ omnia & Sodo-

Digitized by Google

ne argumento ſunt, animi ipſius integritatem aut non imminutam fuiſſe, aut ſaltem leviſſime adeo, ut in juſtis adhuc haberi potuerit? Minime dubitaverim, cum & 29. ejuſdem cap. v. juſtitiæ ipſius teſtimonium habeatur omnium luculentiſſimum, *cum enim*, inquit Scriptura, *ſubverterat Deus Civitates regionis illius; recordatus Abrahæ*, rei videlicet illius, quam ſuperiori capite ipſi ſpoponderat, erat autem ut juſtorum ſiqui fuiſſent rationem haberet, *liberavit Loth de ſubverſione Urbium in quibus habitaverat*. Hæc de Filiarum proſtitutione Geneſis loca, quid de ebrietate, & inceſtu. Profecto ſi verba narrationis ſingula perpendantur, haud rigidiores erimus in juſtum hunc.

Pater noſter, ſic Puellarum ejus natu major ad minorem (*), *ſenex eſt veni inebriemus cum vino, dormiamuſque cum eo, ut ſervare poſſimus ex Patre noſtro ſemen*. Animus igitur Puellarum in Patris deceptionem ſpectabat: Patris ipſa ætas favebat, quæ & avidior vini eſſe ſolet, ut fert commune proloquium, & puerorum more modica etiam quantitate proſtratur, quorum primum in ſuſpicionem facile animum inducit, eas medicato ut ajunt vino uſas eſſe: alterum, futurum, ut ab optimo certe inebriaretur, ne minimum quidem per ipſas dubitatum. Procedit narratio duplicis cum Filiabus accubitus: quænam vero illa eſt utriuſque! nihil mihi tribui velim, ſi non ea ſit, quæ in Lothi defenſionem mirifice conſentiat. *at ille*, ſic deſcriptum primum habes accubitum (*), *non ſenſit nec*

(*) *ibid.* v. 31.

(*) *ibid.* v. 33.

domitarum injuriam, & hoſpitalem ejuſdem avertendæ Lothi ipſius induſtriam, retentà textus ſerie, ſunt conſequuta.

nec quando accubuit Filia, *nec quando ſurrexit* :. haud ſecus, & alterum, *& ne tunc quidem ſenſit* (*), *quando concubuerit*, *vel quando illa ſurrexerit*. Quæ ſane verba, qui hiſtoriæ tenor, quæ loquendi æconomia id unum videntur ſpectare, ut hæc ipſa, quæ aliquando fieri ſine culpa contingit, ab ipſo quoque Lotho nullo ejus vitio facta eſſe reputentur. Equidem non me latet quæ hiſce teſtimoniis ab Auguſt. (*) afferantur interpretamenta; verùm de hoc, cum dubiam ut minus rem, ſi ab authoritate petatur, comprobarim. Illud in præſenti, ad Scripturas quod attinet, adnitendum, ut ſi quæ adſint alia Scripturarum oracula, quæ Lothi integritatem commendant, a nobis ne prætereantur. Extant ſane hujuſmodi, & Sapientiæ libro (*q*), & Epi-

(*) *ibid. v.* 33.

(*) *rel. a Nat. diſſ. de Loth.*

(q) *Hæc juſtum*, legitur eod. cap. quo Adam, Noe, Abraham, Jacob, Joſeph, Moyſen juſtitia celebratur, 10. ſcilicet v. *6.*, *Hæc juſtum a pereuntibus impiis liberavit fugientem*, juſtum, inquit, fugientem, *deſcendente igne in Pentapolim*. Juſtum quoque appellat, lib. ejuſdem cap. extremo v. 1*6.*: *percuſſi ſunt autem*, inquit, *cæcitate : ſicut illi in foribus juſti :* tunc verò percuſſi ii cæcitate fuerunt, cum jam pro poſita ſibi a Lotho fuerit Filiarum abuſio: atque idcirco juſtum nominari, quod ſe ab omni ſcelere obſervaverit, ex collatione liquet, quam juſtos inter & impios, de quibus verba citato 10. cap., inſtituit. *Quibus*, ideſt impiis ſic vv. 78. *9.*, *in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra*, *& incerto tempore fructus habentes arbores*, *& incredibiles animæ memoria ſtans figmentum ſalis*, Mulier ſcilicet Loth, quam impiis annumerat. *Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapſi ſunt*, *ut ignorarent bona*, *ſed inſipien-*

Digitized by Google

Epiſtolarum Petri ſecunda (*r*), quæ legi ab omnibus velim; Enim verò cum ex iis conſtet juſtum haberi Lothum, poſtquam etiam in eam ſponſionem inciderat: tum illud incredibile videtur, quod ſi ebrietatis, inceſtuſve reus fuerit, atque ita ut nuſquam reſipuerit, tum Author Sapientiæ juſtum ipſum, nec ſemel; cum Petrus, quibus exploratum id erat omne, quod & nobis, ſemel, bis, & tertiò appellarint. Ut ut tamen de hac re ſentire quis velit, illud indubium mihi eſt, ſemperque erit hoc ut minus ex Scripturis colligi, & quidem non obſcure, quod ſi peccatum per Loth ſit, non ita ſane ut peccata illius *prædeſtinati*, ut Schola loquitur, viri non fuerint; quare ita & de Lothi pœnitentia ſilentium eſſe apud ipſas, ut multa tamen ex parte eadem ipſa prodatur.

Alterum de Authoribus erat nobis caput, nunc expediendum. Rem dixi ſatis dubiam, peccaverit nempe, nec ne Loth, Authores ſi conſulantur. Et ſanè Natalis ab Alex. (*ſ*) nervos ſuos

F om-

pientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuiſſent. Sapientia autem hos, qui ſe obſervant; juſtos, inquam, de quibus jam verba fecerat, *a doloribus liberavit*.

(r) *Juſtum*, inquit & Petrus laudato in loco, *Loth oppreſſum a neſandorum injuria, ac luxurioſa converſatione eripuit*; *aſpectu enim*, *&* *auditu*, opere nimirum, & verbo, *juſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant*. *Novit Dominus*, concludit, *pios de tentatione eripere*, *iniquos verò in diem judicii reſervare cruciandos*.

(ſ) Diſ. 7. t. 1. *Non licet in malis culpæ minori malo conſentire*, *vel illud procurare*, *aut committere*, *ut ma-*

Digitized by Google

omnes in id confert, ut ipſum peccati reum in ſpondendis Filiabus evincat: Cajetanus ex adverſo, ut peccati prorſus immunem (*t*). Rem iſte, ſi ad eorum dicta te conferas, ex ſubjecto magis, quam ex objecto pendet: ſecus ille. Pro re ſua habet Nat., ut ſibi videtur, Auguſtinum: dixi, ut ſibi videtur; Enim verò locis ab eodem citatis (*u*) ſatis patet meo quidem judicio, Augu-

majus malum vitetur, docet Apoſt. ad Rom. 3. 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tamquam peccator judicor? & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona; quorum damnatio juſta eſt. *Quamvis itaq; conſtupratio ....*

(t) Rationem ſuam ſic effert quam & ipſe Nat. *non ſpernendam putat*, quamvis ipſi *non tam ſolide fundata, quam ſubtiliter inventa videatur*, an ita omnibus videri debeat, unus ipſe fortaſſe dixerit. *Loth*, inquit Cajetanus, *non obtulit Filias animo repenſandi flagitium flagitio: ſed animo placandi furentem populum minime accepturum ejuſmodi oblationem, ſed fore potius, ut populus ille tantâ ejus placatus ſummiſſione, ab incepto deſiſteret. Idque propterea veriſimile erat quod Filiæ Loth primariis Sodomæ Civibus jam deſponſæ fuerant. Simile igitur eſt quod de Loth dicimus, ut ſi placaturus quis alium a ſe magnâ læſum, & offenſum injuriâ pugionem ei offerat dicens. Interfice me: non eo ſane animo, ut ille occidat ipſum; ſed ut tantâ ejus ſummiſſione mitigatus omnem ei remittat pœnam, & offenſam.*

(u) qq. nimirum 42., & 44. in Gen., & lib. cont. Mendacium ad Coſent. cap. 9. *Utrum*, inquit quæſt. 42., *admittenda ſit compenſatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat: an potius perturbationi Loth, non con-*

guſtino ſermonem eſſe de re in ſe ſpectata. Quid enim ille innuit apertiùs, ſi ſingulorum verborum ratio habeatur, quam ſe ne minimum quidem in eo eſſe, ut Lothum accuſet, bene quidem

conſilio tribuendum ſit quia hoc dixerit, meritò quæritur: & nimirum periculoſiſſime admittitur compenſatio. Si autem perturbatione humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda eſt: Hac perturbatione timoris [q. 44.] *non credebat ipſi Domino, quem in Angelis cognoſcebat, quà etiam illud de Filiabus ſuis proſtituendis dixerat: ut intelligamus non pro auctoritate habendum, quod dixit de turpitudine Filiarum: Non enim & hoc pro auctoritate habendum eſt, Deo non eſſe credendum.* Eo ſpectat ergo Auguſtinus ne cum hac in re *moveat maxime*, verba ejus ſunt lib. cont. Mendacium ad Coſ. citato in cap., *perſona facientis, quæ merito juſtitiæ liberabatur a Sodomis, incauti decipiantur, & quod factum credunt, faciendum & putent.* Quod quidem eo loci late proſequitur. *Conſiderandum*, inquit, *eſt in eo quod fecit Loth utrum exemplum ſit quod imitari, an potius vitare debeamus. Magis enim videtur intuendum, & notandum, cum tam horrendum malum ex impietate flagitioſiſſima Sodomitarum ſuis impenderet hoſpitibus, quod cuperet depellere, nec valeret, ſic etiam Juſti animum potuiſſe turbari, ut vellet facere, quod non humani timoris nebuloſa tempeſtas, ſed divini juris tranquilla ſerenitas ſi conſulatur a nobis faciendum non eſſe clamabit, & jubebit potius, ut ſic noſtra peccata caveamus, ne ullorum prorſus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir juſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere Filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis Sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus.*

Digitized by Google

dem, *ne violemus*, ut ipſe inquit, *præcepta, dum paſſim ſectamur exempla*. Sane *perturbatione illa*, quam toties repetit Auguſtinus, Lothum omnis labis expertem fieri potuiſſe, teſtis eſt mihi ipſe met Pater Nat., cum ad Petri teſtimonium evadendum ita ſe comparat. = , Lothus, inquit, (*) comparatè juſtus vocatur a S. Petro, „ quia inter Sodomitas vivens a nefariis ipſorum flagitiis abhorruit, & quia ingens *perturbatio* ipſum fortè *a lethalis peccati labe* in ipſo „ de quo agimus facto *immunem* fecit = . Neque verò hic putet aliquis ſingulari ejus in litteratorum rempublicam merito detractum per me iri; Scriptoris enim multa ſcribentis neceſſitatem ſemper putavi, non inſcitiam, ſiquid fugere ipſos contigerit. Aſt habeat pro ſe, per me licet, D. Aug., quod illa Gen. verba (*) *& recordatus eſt Deus Abraham, & exemit Loth* .... paulo durius expendere videatur (x); quamvis & illud omne idcirco dixiſſe Auguſtinum facilè intelligatur, ne hujuſmodi commendatio ad id etiam, quod ſe ipſo ſpectatum malum eſt, referri crederetur: An non & Cajetani partes agunt hinc Jo: Chryſoſtomus: iſtinc Ambroſius? plane non leviter. Qui etſi non laudant, quod laudandum non erat, cum tamen nec vitio vertunt Lotho id facienti, reprehendendum in ipſo non fuiſſe ſatis oſtendunt (y). Hæc de proſtitutione : de

(*) *Diſſ. 7. propoſ. 1. ad 3.*

(*) *cap. 19. v. 29. lect. non vulg.*

(x) q. 45. in Gen. *Commendat Scriptura meritis magis Abrahæ liberatum eſſe Lot, ut intelligamus juſtum Lot dictum ſecundum quemdam modum, maxime quod unum verum Deum colebat, & propter comparationem ſcelerum Sodomorum, inter quos vivens ad vitam ſimilem non potuit inclinari.*

(y) *Offerebat Sanctus* Lot, ſic Ambr. lib. 1. de Ab-

de ebrietate vero, & inceſtu non magis certa res eſt apud Authores ipſum graviter peccaſſe. Utique Natalem ſi audiamus, ebrietatis eſt graviter reus, & quod ebrietatis, & inceſtus, inquit enim (*) = Cum vero ebrietas ipſum in inceſtum præcipitem egerit, inceſtus in cauſſa ſua voluntarius fuit, adeoq; graviſſimum peccatum = . Iſtud autem conceſſum illi iri a Theologis viris, niſi ex rigida Tranſalpinorum Schola ſit ille, haud facilè adducar, ut credam; quandoquidem ea quidem peccata audiam eos dicere vitio dari voluntatis in cauſſa ſua, quæ aut re ipſa provideantur, aut aliqua ex parte proſpici valeant, quod ſcilicet peccata inter & cauſſam id vinculi ſit, ut aut communiter, aut ut in plurimum cauſſam ipſam conſequantur. An verò ex illorum genere inceſtus? Quis dixerit, cum neque homicidium tale reputetur, (quod tamen uſu magis venire videmus apud hujuſmodi vino furentes), niſi futurum id quiſpiam de ſe, ut tum cum vino madidus in aliorum vitam deſæviat, ſuſpicetur. Quid autem quod Filiarum accubitus nullà ratione in Patris mentem cadere potuit? Teſtis mihi eſt hac in re velit nolitque Natalis ipſe lo-

co

(*) *prop. 2. diſſ. 7.*

Abraham. cap. 4. *filiarum pudorem. Nam etſi illa quoque flagitioſa impuritas erat, tamen minus erat ſecundùm naturam coire, quàm adverſùs naturam delinquere. Præferebat domus ſuæ verecundiæ hoſpitalem gratiam etiam apud barbaras gentes inviolabilem: denique illic quoque inoffenſa hoſpitalitas, ubi nec germanitas ſatis tuta eſt.* Hæc Jo: Chryſoſt. hom. 43. in Gen. *Quanta juſti virtus! Quid enim quis Juſti hujus benignitate ſat dignum attulerit, qui neque Filiabus parcere voluit, ut ſervaret hoſpitibus honorem, & liberaret eos a perverſitate Sodomitarum.*

(*) S. Iren. lib. 4. cap. 2. Orig. hom. 5. in Gen. S. Ambroſ. lib. 1. de Abraham. Theodor. q. 70. in Gen. S. Jo: Cryſ. hom. 44. in Gen.

co ſæpius laudato, qui PP. (*) vel puellas excuſantibus oſtenſurus minus rectè ab ipſis excuſari hæc inter alia urget, *hanc enim* (naturæ intelligas legem) *ipſis cognitam fuiſſe inde patet, quod paternum concubitum furatæ ſint, ut ab ebrio, & neſciente extorquerent, quod a vigilante impetrare nunquam potuiſſent. Patrem enim ob horrorem facinoris impudens poſtulatum omnino repulſurum meritò ſuſpicabantur*. An id a quo tam abhorret Patris natura in Patris mentem ulla ex parte incidere potuiſſe dicetur? Nihil ſane minus ab eo, cui PP. bene audiant, cum dicunt, nec in Filias ipſas niſi quadam boni ſpecie deceptas tam horrendum facinus cadere potuiſſe. Sin autem Theodoretum adeamus ſatis eſt ipſum legere, ut & gravis ipſum peccati non condemnare, de ebrietate cum loquitur, & labis omnis expertem facere, cum de inceſtu, prorſus intelligatur (z) Theodoreto apprime conten[illegible] Jo: Cryſoſtomus (*a*), cum & ipſe

(z) *Quando res*, q. 70. in Gen., *ita ſe habet, ut homines quoque illis ſoleant ignoſcere qui per ignorantiam delinquunt; Nemo profectò meritò Lot reprehenderit ob illam mixtionem. Neſciebat enim quid ageret. Ebrietas verò illa quamdam habet reprehenſionem venia temperatam. Siquidem anxius valde, ac mærens, ut pote omnibus ſimul bonis, & uxore etiam ſua ſpoliatus permiſit ut Filiæ vinum largius affunderent, & quod ſtruebatur ignorans* (hic animadvertere potuiſſet vir, cæteroquin admirabili acie, Theodoretum nedum ignorantiam, quam Theologi vocant conſequentem, ſed & antecedentem Lotho tribuere, idq; omne proinde quod mentis ipſius explicandæ cauſſa aggerit ſeipſo ruere) *ad leniendam, mitigandamque triſtitiam id fieri ſuſpicabatur*.

(a) *Vidiſti*, hom. 44. in Gen., *quomodo Scriptura &*

Digitized by Google

& ipſe ab inceſtu Lothum abſolvit, quod & alii ſuperius recenſiti PP. præſtant prorſus legendi, nec non etiam ab ebrietate. Affert pro ſe quidem Nat. ex Orig. hom. 5. permulta, mihi verò ſatis pauciſſima hæc ejus verba eſſe, quin & abundare videntur, *Erat ergo Loth non arte ſed voluptate deceptus. Ideo medius eſt inter peccatores, & juſtos*, ut ſuam quiſque de ejus mente ferat ſententiam: Non pauca etiam ex Aug. libb. contra Fauſtum: at mihi nihil magis faciendum eſſe arbitror, quàm nonnulla ex iis excerpere, oculiſq; legentium ſubjicere (*b*), quibus Auguſtini ſco-

& pro Juſto rationem dederit (hæc dicit Scripturarum narratione conſtituta, verbiſque ſingulis pedetentim adnotatis) *ſemel, atque iterum? Et priuſquidem quod Filiæ vinum ei impoſuerint declaravit, & quod non aliter potuerint perſuadere Patri, quam ſic faciendo. Nunc autem opinor, & ſuperna diſpenſatione eſſe factum, ita fuiſſe eum aggravatum vino, ut omnino ignoraret, ne ſcilicet fieret criminum reus. Ea enim peccata nos condemnant, quæ ſcienter, & voluntarie facimus. Vides quomodo teſtimonium præbet Juſto Scriptura, quod omnino factum neſcierit. Verùm iterum quæſtio ſurgit de ebrietate. Oportet enim omnia inveſtigare, ut nulla rudibus, & impudentibus calumniandi relinquatur occaſio. Quid igitur & de hac dicemus? Non tam ex ebrietate, vel incontinentia hæc facta ſunt, quam ex triſtitia. Nullus igitur audeat Juſtum, aut juſti Filias condemnare. Quomodo enim non eſſet extremæ dementiæ, & deſipientiæ, ut eos quos Scriptura ab omni liberat crimine, immo pro quibus tantam apologiam componit, nos innumeris peccatis pleni condemnemus, & non audiremus Paulum dicentem.* Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet.

(b) *Cum ergo*, cap. 44. *in litteris, quas iſti repre-* *hen-*

ſcopus facilè teneatur, idque quod verius ſit judicetur. Quæ ſi eorum animo quietando non ſint, qui Nat. partes ſuſcipere vellent, nihil moror: habeant per me licet & Origenem, & Auguſtinum, dum id mihi licere indulgeant quod ſibi integrum eſſe Natalis ipſe eſt arbitratus tum cum illis uſus eſt verbis (*) *reſpondeo Lothi Filias non recte a PP. excuſari, quod ſalvâ eorum reverentiâ dictum velim: Neque enim ... Laudatis vero PP. S. Auguſtinum oppono lib. 22. cont. Fauſt. cap. 43. ipſas quidem aliquatenus non ex omni tamen parte excuſantem:* id inquam & mihi licere indulgeant, *eademque* proinde *reverentia* ut dicam: *laudatis* ab ipſo *PP.* ipſum Auguſtinum oppono, *in iis*, *quæ* ad Vincentium Donat., & citatis adv. Fauſtum libb. præclariſſime ut ſemper ſcribit, *Doctoribus nihil magis authoritatis dandum eſt, quàm in quantum poſſunt ratione vel authoritate aliquid melius, quam alii perſuadere: non tamen ideo credendum eſt aliquid ſic eſſe quia ipſi dixerunt ... Ratio .. juſtitiæ non tantum quid factum ſit, verùm etiam quare factum ſit intuetur, ut ex cauſſis ſuis facta pendentia libramento æquitatis examinet.* Sed priora illa de Origene, & Auguſtino fortaſſe non neceſſaria, quin & ab ejus aliena inſtituto, qui de oſtenden-

(*) *prop. ſup. cit.*

hendunt, Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas litteras accuſare contendunt, cum aliis earum locis apertiſſime inveniatur divinis præceptis iſta prohiberi? cap. 43. plura de Lothi Filiabus effatus finem in his facit... *Unde in illa re geſta de opere Filiarum Loth narrata iſta ſunt, non laudata.* Et infra. *Non Scripturas ſuas* [Deus] *propter hominum peccata damnavit. Prodidit quippe iſta non fecit: & cavenda admonuit, non imitanda propoſuit.*

denda rei dubietate laborat : quæ autem conſequuntur , cum nonniſi ad rem ſint, quàm cum Authores longe inter ſe diſcrepent , illud profecto perhibent quod mihi ſumpſeram demonſtrandum , ſcilicet quod in iis omnibus peccaverit Loth , Authores ſi ſpectentur , rem eſſe admodum dubiam . Nunc ab iis quæro , qui dubia cum certis conferunt , hæcq; nobis exempla objiciunt , clavum ne clavo trudant , an ſibi met verius aſciam cruribus illidant ?

Reſtat ut Lothi hiſtoriam , quod tertium erat , cum Salomonis narratione ne punctum quidem convenire oſtendam . Quid enim mehercle in Salomonis hiſtoria iis quæ de Lotho enarrantur ulla ex parte conſonat ? an peccata ? at Lothi peccata aut nulla , aut dubia , aut eo ut ſummum ex genere , iiſq; ſuffulta adminiculis , ut ipſamet pœnitentiæ , & veniæ ſpem nobis facere valeant haud dubiam : Salomonis verò certiſſima , eademq; graviſſima , nec ullâ earum rerum affecta , quà ſimilem in ſpem erigi aliquo jure poſſimus . An verborum uſus ? Ubinam verò in texendis Salomonis criminibus temperat ſermonem ſuum Scriptura , quo in loco *Juſti* nomine eum inſignire conſtat , dum identidem quod ſuà eſt naturà peccatum de eo narrat , quemadmodum fieri in Lothum probè perſpicimus ? An hiſtoriæ ipſius character ? Aſt ſit ne aliquid in rerum natura , quod ab altero quopiam magis diſſideat, non ita facilè video . Ea de Lotho a Scriptura narrantur, quæ cum Abraham hiſtoria, quam ſibi potiſſimum, pœne dixerim & unam , propoſuit , quodam neceſſitatis vinculo colligantur : hiſtoriam verò Salomonis ex propoſito texit : ita illa ut merita magis Abrahæ ſpectet , *recordatus Abrahæ* , inquit Scriptura , & in hæc Aug. *commendat Scriptura meri-*

Digitized by Google

tis magis Abrahæ liberatum eſſe Lot: ſic iſtam, ut laudem ipſius, cujus in geſtis verſatur, omnino ſpectet: ut primò enim ad narrationem ſe comparat *Laudemus*, inquit (*), *viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua:* filum illius interciditur: hujus ad mortem uſque perducitur: Veſtigia in ea animi haud pœnitentis nulla, niſi quæ a Scripturarum ſilentio non ſatis recte diſtincto petuntur: in hac & ea, quæ ſilentio, ſed hujuſmodi ut coargui non poſſit, nituntur, & illa quæ apertiſſimo Scripturæ ſenſu produntur. Sed de his tum cum ad eam partem per me ventum erit, quæ verbis, aut quaſi verbis, puta lachrymis, corporis habitu, atque ejuſdemmodi ſimilibus conſtat.

(*) *Eccl. cap.* 44.

12. Nunc ad Judam, Noemique FF., & ſummis quidem, ut ajunt, digitis, ne & ego una cum iis qui hæc exempla minutatim agglomerant, omnem nitidum lapidem adorare videar. Porro, ut omittam, ad Judam quod attinet, tum illa Scripturæ verba *attamen ultra non cognovit eam* (*), quibus facti narrationem veluti ex improviſo concludit: cum hæc (*) *Juda te laudabunt Filii tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te Filii Patris tui*, & plura his ſimilia, quibus morti proximus Jacob huic Filio ſuo impertitus eſt benedictionem, alià longe ſane ratione, ac illam Rubeno, Simeoni, Levique contulerit, cum eis peccata, quorum & ipſi jam rei evaſerant, exprobravit, & Rubeno quidem, ſic eum alloquutus *Effuſus es ſicut aqua non creſcas, quia aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum ejus:* Simeoni, & Levi, *Vaſa* (*) *iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtum illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum,* &

(*) *Gen.* 38. 26.

(*) *Gen.* 49. *vv.* 8. 9. 10. 11. 12.

(*) *Gen.* 49. *v.* 5. & *deinceps*.

& in voluntate ſua foderunt eum; ut hæc, inquam, omittam, non multa cogitatione opus eſſe nunquam non ſum arbitratus, ut intelligamus, id judicii fieri de omnibus indiſcriminatim poſſe quod de Salomone ferendum eſſe in præſentia contendimus; quotieſcumque vel adhibitis omnibus ad Scripturarum mentem aſſequendam præceptis, inſtitutiſque, nihil ſe ſe prorſus offerat, quod eorum ſaluti ſuffragium aliquod ferat; quemadmodum hac una de cauſſa (ut ſic exemplo ex Noemi FF. petito etiam occurram (*c*)) nec ullum eorum qui diluvio perierunt, parvulos eos ſi excipias, qui ſive per Sacramentum legis naturæ, ſive per fidem ſigno aliquo externo, & ſacro ſignificatam, confirmatamque ab originali peccato emundati fuerint: nec ex Sodomitis aliquem, qui igni cœleſti fuere conſumpti: neminem item ex Ægyptiis mari rubro demerſis: nullum demùm ex iis, quos cum Core, Dathan, & Abiron dehiſcens terra vivos abſorbuit, damnationem ęternam evaſiſſe affirmare haud dubitat idem ipſe (*), qui incertam habet Salomonis ſalutem, Natalis, dico, ab Alex. quo id autem jure ex verbis ipſis in rem, de qua modò, quiſque ſecum expendat. *Pœnitentiam quidem*, inquit ipſe, eos alloquens quos habet adverſos, Hieronymum inter alios, & Rupertum Abbatem, *agere potuerunt incipiente diluvio, donec aquis ſubmerſi interierint, illi præſertim qui in Montibus habitabant, atque ita damnationem æternam evadere, ſed ipſos revera pœni-*

(*) *Diſſ. x. T. 1. Hiſt. Eccl. art. 5.*

 ten-

(c) puto enim de la Turre cum Nohemi F. F. nominat diſſ. de Salom. T. 1. q. 1. art. 14., eos ſe innuere, quibus cum, cæteris diluvio deletis, Nohemus ipſe ſuperſtes fuit.

rentiam egiſſe nullis certis documentis probatur? unde vero hoc? quod peccata Scriptura commemoret: quod temporalem punitionem referat: quod nulla demum pœnitentiæ veſtigia ex Scripturis exprimi queant: quin immo iis contraria prorſus ex ipſis habeantur, ut apud ipſum eſt legere (*d*).

Mirari hic ſatis non poſſum (liceat mihi identidem, quod fieri interdum a Viatoribus aſſolet, ut & quæ ſecus viam hinc inde conſtituta, oculiſque digna ſunt, attente, avideque proſpiciant, pene dixerim ebibant, & a tramite, quem in finem ſibi propoſitum arripuerint, nuſquam diſcedant, aut certè non multum detorqueant) mira-

(d) *immo contrarium colligitur ex his Chriſti verbis, Luc.* 17. *v.* 27. Edebant, & bibebant, uxores ducebant ad nuptias uſque in diem, qua intravit Noe in arcam: & venit diluvium; & perdidit omnes: *denique eâdem ratione fingi poſſet plurimos ex Sodomitis igni cœleſti conſumptis damnationem æternam evaſiſſe, quia dum igneum, & ſulphureum imbrem cadere cernerent, ac jam incendio corriperentur, pœnitentiam egerint: Idem quoque de Egyptiis mari rubro demerſis, nec non de iis quos cum Core, Dathan, & Abiron dehiſcens terra vivos abſorbuit, aliquis eâdem libertate comminiſci poteſt*. Et inferius, ſingularis, atque inauditæ ſugillans Hieron., & Rup. Abb. in ea verba Nahum Proph. cap. 1. *Non vindicabo bis in idipſum*, ut legunt 70., vel ut vulgata noſtra *non conſurget* duplex *tribulatio* interpretationem, *ad pœnitentes ergo ejus Scripturæ aſſertio reſtringenda eſt, quantumvis univerſalis videatur, & hac explicatione Theodoreti lenienda quantumvis dura. Sed ut vel ſic reſtricta, & temperata faveat iis qui diluvio perierunt, probandum eſt aliquos ſaltem ex illis pœnitentiam egiſſe, quod gratis aſſeritur, Scripturâ non ſuffragante.*

rari, inquam, ſatis non poſſum virum hunc ſpectatiſſimum cum peccatorum, & punitionis temporalis narratione, tum etiam Scripturarum ſilentio adduci, ut eâdem æternæ damnationis procellâ correptos velit ad unum omnes, quos aquarum exundatio univerſa, ignis, mare, terra conſumpſit, cum tamen ſupplicii ipſius acerbitas, horror, ac terror aliquorum ut minus pœnitentiæ, quod & Poetæ ipſi noverunt, Horatio inter alios canente *Cœlo tonante credidimus Jovem*, & experientià ipsà in dies compertum eſt, argumento eſſe illi potuiſſent: cum in Gen. narratione (*) nulla ſit alterius, quam temporalis ſupplicii mentio: cum non adeo ſit illud firmum, ſic ut ipſe habet, quod unà cum impiis, juſtorum nemo ceciderit, ut non etiam aliquos re ipſa juſtos cum impiis deceſſiſſe ſuſpicari quis meritò poſſit; neque ſatis ex iis probatur, quibus olim interpellabat Deum Abraham (*) *Abſit a te ut rem hanc facias, & occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus, ſicut impius, non eſt hoc tuum. Qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc*; quandoquidem ſacrarum litterarum non rudem admodum hominem haud lateat, Deum quemadmodum ſuper bonos, & malos oriri ſolem ſuum facit, ſic quandoque communibus vitæ hujus ſuppliciis juſtos æquè impioſque comprehendere; neque ex ipſius Auguſtini verbis, quæ adjicit, *nec fruſtra (*) creditur ſic factum eſſe diluvium, jam non inventis in terra, qui non erant digni tali morte defungi, qua in impios vindicatum eſt* aliquid magis exprimitur. Ecquis enim non videt id ipſum dicere potuiſſe, etiam cum pro majori, immo & maxima parte reapſe non invenirentur? cum denique ſive Scripturæ attendantur, ſive PP. teſtimonia, illæ aliquorum ſalutem innue-

(*) *cap*. 42.

(*) *Gen*. 18. *v*. 25.

(*) *lib*. 15. *de civitate Dei cap*. 24.

nuere videantur : hæc luculenter demonſtrent, quæ duo ſum ipſi continuo probaturus; cum hæc inquam omnia obſtent, unius tamen Salomonis ſalutem vel eadem ſe ſe offerant, quin & forte majora damnationis momenta in ancipiti collocet, atque conſtituat.

Quod Scripturæ, ut primum de his fidem meam liberem, aliquorum qui diluvio perierunt ſalutem innuere videantur, teſtis eſt mihi ipſe cum ut a celebri ex prima Petri (*e*) teſtimonio ſe ſe expediat, ulli labori non parcat, adhibitis hinc Æcumenii, cujus non pauca affert, illinc
(*) *99.ult. edit. 164.* Auguſtini, cujus ad Evodium Ep. (*) totam pœne tranſcribit, interpretationibus, nec non adjectis de ſuo erudite ſatis, atque præclare ex Scriptura non paucis. Quod PP. teſtimonia iſtud ne dum innuant, ſed & demonſtrent, alterum de quo fidem meam obbligavi, tam verum eſt, ut ipſe met huic diſputationi finem hunc faciat, *a ſententia itaque S. Hier., & Rup. hac in quæſtione diſcedimus ſalvâ quam tantis viris debemus veneratione ;* Ne tu tamen eorum verba deſideres, ad calcem habes appoſita (*f*).

Equidem novi quid ipſe Hieronyminianæ autho-

(e) cap. 3. v. 19. *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit : qui increduli erant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca.*

(f) In hæc verba 70. *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum, quia carnes ſunt* Hieron. lib. qq. Hebraic. in Gen. *In Hebræo ſcriptum eſt* Non judicabit Spiritus meus in hominibus iſtis in æternum quia carnes ſunt, *Hoc eſt quia fragilis eſt in homine conditio non eos ad æternos ſervabo cruciatus ...* & poſt multa, *receperunt ergo qui in diluvio perierunt, & Sodomitæ,*

Digitized by Google

thoritatis labefactandæ cauſſa ex Scripturis advocet: at, ut omittam non facilè credendum, Interpretem in ſacris litteris omnium verſatiſſimum fugere id omne potuiſſe, non video quod Scripturis illis magnum aliquid de ejus ſententia detrahatur. Comparat utiq; Hieron. eos qui diluvio periere Sodomitis: Scriptura ipſa etiam Sodomitas ęterno igne torqueri apertè ſignificat (g). Propter ne id verò præſidium omne intercluſum? & non potiùs illud ſemper in promptu eſt, quod ex Scripturarum loquendi more tam recte, quam vere quiſque in hujuſmodi ſibi facilè comparat? Infrequens porro non eſt, & in re apertiſſima affe-

tæ, & Egyptii, & Iſraelitæ in ſolitudine mala ſua in vita ſua. Rup. lib. 4. Comment. in Gen. *Sciendum eſt triforme unius Trinitatis eſſe judicium: primum videlicet quo Diabolus de Cœlo dejectus eſt: & ultimum quo idem Diabolus cum ſuis Angelis, & malis hominibus in ignem æternum eſt mittendus. Præterea medium hoc quo diluvium Mundo inducitur: & hoc quidem ut tempore, vel ordine, ſic & qualitate medium eſt. Etenim primo, & ultimo judicio ſoli reprobi feriuntur, & ſoli electi ſervantur; iſto autem medio nec ſoli electi conſervantur, nec ſoli reprobi ſuffocantur. Credendum quippe eſt aliquos hoc diluvio periiſſe, quorum eodem periculo mortis peccatum deletum ſit, juxta quod ſcriptum eſt:* Non vindicabit Deus bis in idipſum. *Pleroque tamen ex eis utpote impios ... &c.*

(g) Matth. 11. v. 24. *Et tu Capharnaum numquid uſque in Cœlum exaltaberis? uſque in Infernum deſcendes, quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem. Verumtamen dico vobis quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii, quam tibi.* Ep. Cathol. 3. Judæ Ap. cap. 1. v. 7. *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes.*

Digitized by Google

afferre videar minime neceſſaria, ſi hujus rei exempla exemplis addam, infrequens, inquam, in ſcripturis non eſt univerſitatis particulam, cum de majori, aut maxima alicujus multitudinis parte incidat ſermo, uſurpari: quin & ipſa in re de qua agimus extat exemplum omnium luculentiſſimum: *Omnis quippe caro*, inquit Scriptura, *corruperat viam ſuam*, cum tamen de fide ſit Noheum ab juſtitiæ ſemitis nuſquam diſceſſiſſe, & Auguſtinus plures alios juſtos extitiſſe non dubitet, ut ex ejus verbis ſupra laudatis conjici licet. An non ita Hieron. conſultum eſſet? an non hujuſmodi ſunt vel ipſius Natalis argumenta, *quæ ad aſſenſum non cogant, & quibus probabilis etiam reſponſio adhiberi non poſſit?* ſic ut ipſe ait de Salomonis ſalute cum diſputat. Cur ergo non æque concludit *Unde ſors æterna* eorum qui diluvio interierunt, *unum ex divinæ providentiæ arcanis pleriſque videtur, quę ſcrutari amplius non oporteat*. Quod ſi ea de cauſſa omnes illos ad Infera detrudit, quod collatis inter ſe momentis potiora ſibi viſa ſint quæ ipſos condemnant, jam vel ex iis dumtaxat, quę iſta ad hunc uſq; locum ſum diſputatione complexus eandem ſibi ferendam fuiſſe de Salomone ſententiam & nos dicere non veremur, & facilè omnes intelligere exiſtimamus. Sed de hoc nimis multa, utinam & non ea, quibus male ita audiam apud nonnullos, ut in eorum me numero habeant, non habeant ſolum, ſed & in vulgum efferant, de quibus olim Cicero apud Lucullum, *Qui mihi videntur non ſolum vivis, ſed etiam mortuis invidere*. Quod tamen tam longe a me eſt, quam ulli aut vivo, aut mortuo aſſentari. Veritati enim ſtudenti nihil magis obeſſe, quam partium ſtudium, quodcumque illud ſit, id eſt quod veriſſimum judico, ſinguliſque probatum.

II.

II.

TEmpus eſt jam ut ad eam conjecturarum partem, quæ *verbis*, aut æque ac *verbis* continentur, accedam. Qua in re mihi certe vitio non dabitur, ſi quæ obiter dicta, & quadam neceſſitate ſermonis fuerunt in medium rurſus proferre contigerit; eo & maxime, quod alia longe facie futurum ſit, quemadmodum ea conferenti perceptum fiet, ac cognitum, in ſcenam iſtam ut prodeant.

13. Atque in primis ſi ulla a Salomone ad Deum pro peccatis deprecatio eſſet habita, dicendum ne eſt, quod illam Eccleſiaſticus ſilentio præteriiſſet? Plane non videtur. Poteſt ne enim quiſquam dicere inter eum qui conſulto vitæ alicujus geſta in ordinem referat, & inter eum, qui ex rerum coucurſu quodam fortuito: inter eum qui laudem eorum, de quorum vitæ diſciplina, inſtitutiſque narrationem inſtruit, ſibi propoſuit, & inter eum, qui ſimile aliquid ne cogitaverit quidem, nihil intereſſe, aut ita qui ſentiat, non idem apertiſſime inſaniat? Eccleſiaſticus itaque cum in eo eſſet totus, ut illuſtribus viris gloriam compararet, ſic atque initium nar-

rationi ſuæ a ſe conſtitutum in aperto ponit (*h*), & ad Salomonem pervenit, nonne quemadmodum egregiam ejus juventutem, improbam pariter ſenectutem litteris conſignavit, & ipſius pœnitentiam, ſi quod ejus quantumvis minimum exſtaſſet veſtigium poſteritatis memoriæ commendaſſet? abs dubie. Et tamen ubi nam aliquid apud ipſum, quod nos hujusmodi rei non dicam in cognitionem, in ſuſpicionem tantum faciat venire?

14. Quin immo quam diſſimilis apud eum narrandi ratio, cum eodem capite in laudem tum Davidis, cum ejus filii Salomonis ſpectet? Congeſtis in Davidem laudibus quodam quaſi ex libris Regum compendio finem facit iſtiusmodi *Dominus purgavit* (*) *peccata illius, & exaltavit in æternum cornu ejus: & dedit illi teſtamentum Regni, & ſedem gloriæ in Iſrael:* Salomonis verò & ita laudes complectitur, ut & ſigillatim peccata, ſeveriſſimo ſubinde calamo ipſa perſtringens, commemoret, ita commemoret, ut nullo pœnitentiæ, aut purgationis verbo facto concludat *Et finem habuit Salomon cum Patribus ſuis*. (*)

(*) cap. 44. v. 13.

(*) v. 46.

Similiter Regum 3. Salomonis hiſtoria contexitur, ſimiliterque concluditur. Cap. enim 11. quo in unum veluti manipulum ſcelera ipſius ſingula alligantur ad ea verba (*) *Voluit ergo Salomon interficere Roboam, qui ſurrexit. & aufugit ....* continuò, paucis interjectis, quæ quidquid aliud, quam pœnitentiam ſonant, adjicitur (*) *Dormitique Salomon cum PP. ſuis:* David verò ſemper ac narrantur flagitia, & ipſius pœnitentia perhibetur. Sic 2. Reg. (*) exprobrat hæc illi Nathan: *Urìam Hethæum percuſſiſti gladio: & uxorem*

(*) v. 40.

(*) v. 43.

(*) cap. 12. v. 9.

(h) cap. 44. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.*

rem illius accepiſti in uxorem tibi : & interfeciſti eum gladio Filiorum Ammon . Quam (*) *ob rem ....* Verumtamen & ejus pœnitentia ponè ſtatuitur , *& dixit David* (*) *ad Nathan : peccavi Domino : & dixit Nathan ad David : Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum : non morieris* . Sic cap. ejusdem lib. 4. , & 20. , quod cenſum populi haberi juſſerit , & peccatum ſuum animadvertit David , & peccati confeſtim pęnitet : *Dedit ergo Joab* (*) *numerum deſcriptionis populi Regi ... Percuſſit autem cor David eum* (*) , *poſtquam numeratus eſt populus : & dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto , ſed precor Domine , ut transferas iniquitatem ſervi tui , quia ſtulte egi nimis* . Hinc , ad ejus uſque mortem narratione perductà , ſanctiſſimo fine vita ejus abſolvitur ; quandoquidem , præjactis ejus ad Filium (*) bene moratæ vitæ præceptis , illico adjungitur : Dormivit igitur (*) David cum Patribus ſuis , & ſepultus eſt in Civitate David .

(*) v. 10.
(*) v. 13.
(*) v. 9.
(*) v. 10.
(*) cap. 2.
(*) v. 10.

Haud ſecus cum in Davidis, cum in Salomonis hiſtoria verſatur Paralipomenon Author . Videre eſt enim ipſum , cum de Salomonis morte verba facit , rationem ſenectutis ipſius improbe actæ veluti habere : nihil ſiquidem , illud præter , uſurpat : *Dormivitque cum Patribus ſuis* (*) , *& ſeppelierunt eum in Civitate David* ; idque cum proxime dixerat (*) *Reliqua autem operum Salomonis priorum , & noviſſimorum ſcripta ſunt in Verbis Nathan Prophetæ* , cæterorumque , ex quorum Annalibus, Commentariis, & Diariis in duos poſteriores Regum libros bene æque , ac male geſta ipſorum Regum diximus fuiſſe relata (*) . ; cum verò Davidis mortem depingit , pigmenta iſthæc adhibet : *Et mortuus eſt* (*) *in ſenectute bona plenus dierum* .

(*) Paral. 2. cap. 9. v. 31.
(*) v. 29.
(*) n. 4. not. d.
(*) v. 28. cap. 2. lib. 1.

Verum non tam cum Davide conferendum Salomonem putaverim, ipſà admonente in hæc verba Scripturà (*) *Cum jam eſſet ſenex depravatum eſt cor ejus per Mulieres, ut ſequaretur Deos alienos: nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo ſuo, ſicut cor David Patris ejus*, quod apud Davidem ſarta ſemper fuerit, ac tecta Religio, nec uſquam defectione ad Idola eam contaminarit, projecerit, conculcarit, ſecus ac egerit Salomon; non tam inquam cum Davide, quam cum Manaſſe crediderim comparandum, ſiquidem & ipſe Manaſſes in Idolorum cultum ſe penitus abdidit. Proh quam verò diſſimilis utriuſque Manaſſis ſcilicet, & Salomonis exitus, utramque ſi conferamus hiſtoriam.

(*) 3. Reg. cap. 11. v. 4.

Plenam (*i*) Manaſſis notitiam inſtruit nobis Paralip. 2. (*) *Qui poſtquam*, de Manaſſe ibi dicitur, *coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum ſuorum*. Quam pœnitentiam? *abſtulit Deos alienos, & ſimulachrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Jeruſalem, & projecit omnia extra Urbem* . . . . . . tum ſubjicit *reliqua autem* (*) *geſtorum Manaſſe: & obſecratio ejus apud Deum . . . Oratio quoque ejus* (*), *& exauditio, & cuncta peccata, atque contemptus, loca etiam . . . . . antequam ageret pœnitentiam* . . . : deinde mortem: *Dormivit ergo* (*) *Manaſſes cum Patribus ſuis, & ſepelierunt eum in domo ſua* (*k*).

(*) cap. 33.
(*) 18.
(*) v. 19.
(*) v. 20.

Jam verò videamus an aliquid ſimile huic *pecca-*

(i) lib. enim 4. Reg. Manaſſis impietas deſcribitur, & nihil præter.

(k) *Quod animo pœnitenti dicitur moriturus optaſſe*. Ita in marg. Vitrè.

Digitized by Google

cata præter, & illud *dormivit* in Salomonis hiſtoria depræhendatur. Peccata illius deſcripta habemus 3. Reg. lib. (*) *pœnitentiæ* verò nomen nec ibi, nec ullibi Scripturarum, in quibus de Salomone ſit mentio. Habemus & illud *reliqua*, ubinam verò *oratio*, *& exauditio*, *& obſecratio*, *& cuncta peccata antequam ageret pœnitentiam?* quemadmodum hic, ſic & alibi (*): *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit & Sapientia ejus: ecce univerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis.*

(*) cap. 11. v. 4. 5. 6. 7. 40.

(*) Paral. 2. cap. 9. 29

15. Age jam nunc, an non is furere cuiquam videri poſſet, qui palmaribus hiſce argumentis obduratum in ſcelere Salomonis animum explicatum non putaret? An id fortaſſe neceſſe ad eam quam contendimus damnationis ipſius certitudinem comparandam, ut diſerte eadem ipſa tradatur? Neque ipſos puto adverſarios tam longe ab oſtio aberrare; quippe certitudine fidei jam tum res teneretur. Poteſt autem ad certitudinem moralem ea tradi diſertiùs? Unde, amabo dicant, unde certam ipſi habent multorum damnationem, quorum tamen damnatio diſertis verbis a Scriptura non traditur? Aſt quam maluerint viam iſti ineant: mihi ſemper probatum erit, quod e re iſta viſum olim Toſtato: *Quamquam*, ita ipſe (*), *Sacra Scriptura non dicat aperte an Salomon damnatus fuerit, ſatis conſtanter aſſeri poteſt, quod fuerit damnatus, & iſta eſt cauſſa, quare cum deſcribantur ejus peccata diligenter, non ſit aliqua mentio de pœnitentia*. Et ſane digniſſimum hac re ſonum fundere cuipiam videbitur, teneat modo illud, nihil eſſe fortaſſe in Scripturis, quod & frequentiùs occurrat, & apertiùs colligatur, quam cum alicujus peccata accurate deſcripta, tum haud abſimiliter vel eodem ipſo in loco, vel

(*) 2. Reg. cap. 7. q. 13.

in

in alio quolibet, aut explicate pœnitentiæ argumenta, aut clara ipſius quantum ſatis conſtituta veſtigia. Explorata res eſt in Adamo, Samſone, Lotho, Davide, Manaſſe: comprobata novi Teſtamenti paginis, Petri nimirum, Pauli, Magdalenæ, adulterę que illius mulieris dum hiſtorię texuntur: tandem Parabolarum ipſarum uſu illuſtrata, profuſi inquam, illius, & a Patre extorris adoleſcentis: ut jam aut ii omnes, qui ex ſacris litteris ſceleribus convicti ſint, nullo autem modo reſipiſcentes exhibeantur, Inferis ſint deputandi, aut ſi eorum dumtaxat ex Scripturis certa nobis eſſe debeat damnatio, quorum diſerte ab ipſa traditur, jam nonniſi tertiam Angelorum partem, unumque inter homines Epulonem annumerare integrum maneat. Eccur verò, ſi ita eſt, damnatos ſecum ipſis reputant iidem ipſi, qui Salomonis ſtatum in incertis habent, Cainum (*l*), & cum iis, quos ſupra (*) retulimus, Judam Iſcariotam (*m*), improbum Latronem, cum non aliud & pro iſtorum omnium per-

(*) *ſub n.* 12.

(l) Neque ex Gen. 4. neq; ad Hebr. 11. v. 4. neque 1. Jo: 3. 12. neque Judæ 11. æterni in eum ſupplicii mentio.

(m) hujus damnationis non ea ſunt in Scriptura, quibus *probabilis etiam*, verbis utor Natal. ab Alex. in Salom. *reſponſio adhiberi non poſſit*. Illud enim Domini ap. Matth. cap. 26. v. 24. *Væ autem homini illi &c.* verum eſt vel ſolum peccatum ſpectetur. Quod legitur cap. Matth. 27. v. 7. *& abiens laqueo ſe ſuſpendit* id abſq; ejus culpa fieri potuit, ex vehementi enim concepta triſtitia in errorem mentis quid non inciderit? graviſſimam verò ejus fuiſſe triſtitiam, verba illa Matt. eod. cap. vv. 3. 4. 5. ſatis, niſi plus æquo me amem, demonſtrant. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus re-*

perpetua damnatione ſtet momentum, quam peccatorum narratio: punitionis temporalis deſcriptio: pœnitentiæ ſilentium. Eo ſe ductos probe jam intelligent, ut alterutrum horum fateri debeant, aut eorum omnium ſalutem ſtatuendam incertam, de quorum pœnitentia, & damnatione Scriptura aperte non differat, aut certam habendam, certitudine quidem *morali*, eorum damnationem quorum peccata deſcribat: impœnitentiæ veſtigia præſeferat: mortem nulla ex parte commendet: denique ne minimum quidem argumentum præbeat quod pœnitentes deceſſerint.

16. Animos mihi hic reſumere videntur tum ii qui ad rem hanc ſuſpenſum animum afferunt, cum illi qui omni hæſitatione depulſa ſalutem Salomonis omni cura, ſummoque ſtudio conquirunt. Quaſi verò & ipſis eæ quas pro ſe afferunt conjecturæ ſatis præſidio eſſent, & nobis præter ea, quæ jam cumulatè congeſſimus, impœnitentis Salomonis veſtigia, alia etiam non occurrerent, quibus exitum invenire, fallar, ſi non hominis eſſe debeat & docti, & copioſi, & parati; & nihil prætereuntis eorum, quæ pro aliqua cauſſa dici poſſunt, qui ut etiam periculum rei iſtius faciat, mihique de facie ſe præbeat, movebit me quidem, non eo uſque tamen, ut ei reſpondere me poſſe diffidam. Quia verò ipſorum conjecturæ non exiguam mihi rerum ſegetem, & dicendi copiam ſuppeditant, operæ pretium facere videar, iiſque locum præbere commo-

retulit 30. *argenteos dicens: peccavi tradens ſanguinem juſtum .... & projectis argenteis in templo receſſit, & abiens ...* neque verò aliquid magis obtinent verba illa act. Apoſt. 1. 18. *de quo prævaricatus eſt Judas*; aut illa ibid. 20., & Pſal. 68. *Fiat commoratio eorum deſerta, & Epiſcopatum ejus accipiat alter.*

Digitized by Google

modiorem, dignioremque, ſi tertiam ex ipſis diſputationi huic partem, eamque poſtremam attribuam. Quapropter ad id nos revocemus, quod & non temerè promiſſum per me nuperrime fuit, & præſens reipſa inſtitutum meum expoſtulat. Id enim enitor altera hac in diſputationis meæ parte, ut nuſquam a Salomone pœnitentiæ ſuæ, quod a verbis, aut quaſi verbis ſit, factum fuiſſe argumentum patefaciam. Jam verò & ab inſtituto meo non diſcedo, & obbligatam fidem exſolvo.

17. Magni profectò videar promiſſor hiatus, feram & libenter ut dicar, ſi quæ in omnium oculos incurrunt hac ſuper re Scripturarum Oracula, ea inq. quæ 3. Reg. lib. cap. 11. continentur, id non obtineant. Ego ſane haud video quid luculentius, quid uberius, quid firmius poſſit afferri? Etenim ſi pœnitentiæ locus eſt ullus, tunc certè latiſſimus, cum & gravitas ipſa peccatorum conſcientiam valet excitare: cum vel obduratum in vitiis animum Deus ipſe minis, terroribus fortunarumque maximarum ſubverſione, aliiſque hujus generis argumentis abſterrere, expergefacere, ac penitus emollire enitatur: cum denique id vitæ ſpatii detur, ut ne dum præteritorum pœnitere quis poſſit, ſed & annorum plurium bene actorum meritis cumulatus, atque refertus diem ſuum obire. Hæc verò ea ſunt, quæ de Salomone eo loci narrantur, & tamen ullum ne dedit reſipiſcentis animi argumentum? Percurramus ſingula.

18. Peccata ipſius fuiſſe graviſſima nemo non dixerit, qui ſive peccantis, ſive peccatorum rationem habeat. Peccavit quippe peccato Idololatriæ (*n*): peccavit populum inter in Idolorum cul-

(n) Gloſſ. in illud Pſal. *68. Emund. a del. meo maximo*. Idololatriam maximum eſſe delictum aſſerit.

Digitized by Google

cultum promptiſſimum, & quidem Regis perſonam, quod gravius quiddam, eſt apud ipſum agens: peccavit tum cum maximis muneribus cumulatus a Deo fuerat, ejusmodi inquam, ut rerum omnium peritia cum eos qui fuerant, tum qui futuri (*) eſſent præſtantiſſimo ingenio viri, anteiret, regum autem omnium, qui opibus, potentia, ac gloria floruerint, ſpectatiſſimus evaderet (*): peccavit tandem ſcelera ſceleribus addens; ſingulis quippe uxoribus ſuis (*fuerunt autem ei* (*) *quaſi reginæ ſeptingentæ*, & *concubinæ trecentæ*) fanum, aramque conſtrui, atque adornari curavit: in genua venerabundus procubuit: thus adolevit (*). Porro tot ac tanta inter peccata incredibile profecto illud videtur, conſcientiæ ſtimulis, iiſque acutiſſimis actum ipſum non fuiſſe; ut enim perbelle inquit Cic. (*) *ſua quemque fraus*, & *ſuus terror maximè vexat*, *ſuum quemque ſcelus agitat*, *amentiaque afficit*, *ſuæ malæ cogitationes*, *conſcientiæque animi terrent*. *Hærent impiis aſſiduæ*, *domeſticæque furiæ*, *quæ dies*, *noctesque peccatorum pœnas a conſceleratiſſimis hominibus repetunt*. Quid verò ſtimuli hujusmodi perfecere? an ut ſe ſe revocaret? nec tantiſper quidem.

(*) *lib.* 3. *Reg. cap.* 3. *v.* 12.

(*) *ib. v.* 13.

(*) *cap.* 11. *v.* 3.

(*) *ib. vv.* 7. 8.

(*) *Orat. pro Sex. Roſc. Amer.*

19. Enim nullam jam cauſſam habuiſſet Deus, cur tertiò (o) Salomoni ſe ſiſteret, ei iraſceretur, peccata exprobaret, minas intenderet, eumque ſic excutere adniteretur. *Quia* (*) *habuiſti hoc apud te*, & *non cuſtodiſti pactum meum*, & *præcepta mea*, *quæ mandavi tibi*, *diſrumpens ſcindam regnum tuum*, & *dabo illud Servo tuo* (*). Quis hæc percipit auribus, & non continuò ſibi in animum inducit, is quem conſcientiæ ſuæ terro-

(*) *v.* 11.

(*) *Jeroboam*, *de quo v.* 26.

I res

(o) bis enim ipſo coram adſtiterat, quemadmodum ex v. 9. colligitur.

res non commovent , divinis ſaltem hujuſmodi comminationibus futurum ut commoveatur? Quid autem (proh vitiorum vis , obduratique animi deploranda conditio !) a Salomonis cogitatione magis diſſitum, ſi cum nec minis concuti ipſum, ac deterreri intelligeret Deus , diſtricto flagello ; novum pœnitentiæ ſtimulum addendum eſſe eſt arbitratus ?

20. Equidem non video quid aliud hæc ſonent : *Suſcitavit* (*) *autem Dominus adverſarium Salomoni Adad Idumæum de ſemine regio .... : Suſcitavit* (*) *quoque ei Deus adverſarium Razon Filium Eliadæ : Jeroboam quoque* (*) *Filius Nabath , Ephratæus de Sareda , ſervus Salomonis ... levavit manum ſuam contra Regem* . Teſtes hic eos appello , qui Scripturarum ſcientià imbuti nonnihil ſint , num hiſce flagellis conſternati ex conſceleratis Regibus complures ad bonam frugem redierint ? ita ſane : rediit ne verò Salomon ?

(*) v. 14.

(*) v. 23.

(*) v. 26.

21. Non id profectò ex Scripturis animadvertimus , quin immo novo prænuntiationis genere inſtare jam jam regni ſciſſionem , quam comminatus ei fuerat , cuique , concitatis in ipſum Regibus , initia jam veluti Deus portenderat , ipſum adhuc admoneri percipimus ; ſacra ſiquidem refert hiſtoria (*) Ahìam Silonitem Prophetam , cum occurſum in agro haberet Jeroboam , pallium , quo operiebatur , ex integro factum duodecim in partes ipſo coram ſcidiſſe , hæc affatum : *Tolle tibi decem ſciſſuras : hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael : Ecce ego ſcindam Regnum Salomonis , & dabo tibi decem tribus ;* atque deinceps multa . Ad iſthæc quid tandem Salomon ? pœnitentiam utique . *Voluit ergo Salomon* , concludit Scriptura (*) *interficere Jeroboam* , poſt quæ, & pauca quædam alia *Dormivit*, ait v. 43., *cum Patribus ſuis* . Jam

(*) v. 29. 30. 31. & deinceps.

(*) v. 40.

22. Jam vero quiſquam judicet modo velim an unum eorum, quę perditi penitus, deſperatique, ac profligati hominis ſunt argumenta, in Salomonem veluti in quendam confluentium aquarum alveum minime confluxerit? & ipſum enim vitæ ſpatium, quod erat ex propoſitis ultimum, pertinaciæ ſuæ momentum addit; ſiquidem quæ nuper ſum perſequutus, ſex ferme annorum intervallo contigere; Annum namque agebat Salomon, teſte Vitre, ſecundum & quinquageſimum ætatis ſuæ, regni 34., cum Mulierum lenociniis eſt captus, & cum vitâ defunctus ſextum circiter ab iis, ætatis ſcilicet 58., regni 40.

23. An non hinc eorum hominum vultum referre infelix iſte videatur, qui variis Scripturæ locis coloribus hiſce adumbrantur? *Ducunt in bonis dies ſuos* (*), *& in puncto ad Inferna de-* (*) *Job.* 21.
ſcendunt. Adoleſcens juxta viam ſuam (*), *etiam* 13.
cum ſenuerit non recedet ab ea, quod & aptà ſi- (*) *Prov.* 22. 6.
militudine naturæ ſollus ductu illuſtrat Horatius (*). *Quo ſemel eſt*, inquiens, *imbuta recens ſer-* (*) *Sat.*
vavit odorem teſta diù. Sane hominem hunc in bonis dies ſuos duxiſſe nemo neſcit: illud quoque legis jugum tum cum Juvenis excuſſiſſe, quandoquidem alienigenis Mulieribus, quod lege (*) cautum erat ne fieret, ſe tradidit: tandem in (*) *Exod.*
ſceleribus ſenectutem confeciſſe ſuam, *cumque eſ-* 34. 16. *cujus fit ment.*
ſet jam Senex (*) *depravatum eſt cor ejus.* *lib.* 3. *Reg. cap.* 11.

24. Hæc cum ita ſint, & hominem, qui ad extremum uſque ſpiritum animæ ſuæ morbis mi- (*) 3. *Reg.*
nimè indoluerit, ſuis veluti coloribus mirificè 11. *v.* 4.
exprimant, ſatis inſtituto meo feciſſe videri poſſem: verùm erit fortaſſe eruditorum quiſpiam, qui illud etiam a me argumenti genus non expectet, exquirat, quod in rem hanc Abulenſis urgebat; atque cum illud a me pertractari non vi-

 deat,

deat, nonnullam primò in ſuſpicionem veniat; quod ad cauſſam iſtam diffidentem meis rebus animum afferam: deinde quod tanto viro id argumenti non probem; quorum primum injurium ſi appellem, id nonniſi meritò me facere dicendus fuero; enim verò quod quis ad cauſſam aliquam id non aſſumat, quod ſibi non ſatis firmum videatur, tantùm abeſt, ut eam animo ſuſpicionem injiciat, quin omnem penitus, ſi rectè ſentiatur, avertit: alterum etſi eſſet, non idcirco temeritatis notâ, ut mihi quidem videtur, inurendus fuerim, cum & viri in litteratura probati, ac nobiles manes ſuos interdum patiantur, iidemq; ipſi, quod judiciorum noſtrorum infirmitatem comprehenſam animo habeant, atq; perceptam, non omnia eorum excipi velint. Ut tamen (quod tota hac diſputatione providendum cenſui) nullum ſe aditum habere intelligant, quicumque a nobis hac in cauſſa diſſentiunt, neque inquam ad id genus argumenti evadendum, quod adverſum ipſos Abulenſis inſtruebat, nec ullus ſit, qui mihi quoquo jure ſuccenſeat, illud idem inſtaurare non dubito, quod cum obtrectatoribus meis probaverim, percipere jam poſſint ſi velint, nihil me ad cauſſam hanc meam attuliſſe, quod ab ipſis non dicam frangi, ſed ne debilitari quidem potuerit.

25. Age dum: argumentum proferamus: eſt autem hujuſmodi (*). Prænunciata toties Regni diviſio mortem Salomonis eſt conſequuta: neque ergo in vivis cum adhuc ageret, neque tunc, cum extremum ſpiritum duceret Salomonem ſcelerum ſuorum pœnituit? Etenim pœnitentiâ ſuâ tantum profectò ſupplicium a ſe, a Filio ſuo, a Regno avertiſſet, cujus rei multa extant in ſacris litte-

(*) *qu. & art. ſæpius cit.*

Digitized by Google

litteris exempla. Ezechias (*) quod lachrymis maculam ex animo omnem abſterſerit, comminatam a Domino mortem evaſit: Ninivitæ & ipſi (*), quibus Civitatis excidium eminebat, quod ſponte peccatorum ſuorum pœnas in ſe ipſis luerint, immunes prorſus abiere. Cur non ergo & Salomonem, ſi animum illius ſenſus aliquis peccatorum ſuorum ſubierit, eadem Dei, Dei inquam, qui in eum tam liberalis extiterat, miſeratio non excepit? Nullo ergo tempore Salomon ſe ſe revocavit.

(*) 4. Reg. 20. & Iſaiæ 38.

(*) Jonæ 3. & 4.

Ad hæc quid non adverſarii? Infinita, inquiunt primò, extant Scripturarum exempla, quod vel pœnitentem delictorum ſuorum temporariis pœnis animadvertat Deus, plectatque: immo, quin primi Parentes, quin David, aliique bene multi in forum producantur, ipſa omnium temporum experientia teſtis eſt omnium luculentiſſima: tum rationem illius, quem Theologi viri reatum nominant, quemque aut in hoc, aut in futuro ſæculo luendum eſſe Fides nos admonet, haberi oportere: denique peccata Patris in Filio, tum ad ipſius, cum ad cæterorum eruditionem ſæpius, quam complecti ſermone quis valeat, a Deo mulctari.

Eruditè plane: & robuſte etiam; dum parum admodum cautos ſæpe rerum ſpecies non eluderet, atque deciperet, id quod ipſis hac in re prorſus contingere unico contextu ſum oſtenſurus; ſiquidem aliud quiddam eſt, quod cum pœnitentia, vel hujus, vel alterius vitæ conjungantur ſupplicia: aliud quod iſthæc ipſa ſupplicia animi non reſipiſcentis argumentum facere aliquando non valeant. Primum & nos lubenti animo complectimur: alterum prorſus reſpuimus, modo nobis de *morali* argumento ſermonem eſſe retineant.

Quam-

Quamvis igitur Veritatem habeat utrumq; iſtud, & quod peccatorum pœnæ pœnitentis cum vitam, cum mortem ſæpe numero conſequantur, & quod, ubi etiam nulla extent pœnitentiæ veſtigia flagitioſiſſimi alicujus hominis, vitam ipſius, aut mortem conſequuta ſupplicia argumentum hujuſmodi faciendo non ſint, quod eam in animos noſtros de illius impœnitentia certitudinem ingerat, quæ ſignificantiſſima voce *methaphiſica* dicitur; tamen nemo qui mente captus non ſit, idemque judicio ſuo uti velit, ſenſerit certe, quod ubi omnia aliquem hominum abſque ullo criminum ſuorum ſenſu deceſſiſſe conclamant, quemadmodum eſt, cum de Salomone agitur, ſecus ac dici poſſit de exemplis, quæ per totam hanc diſputationem & allata ſint, & afferri etiam poſſint, ipſa & prænunciata, mortemque conſequuta ſupplicia non eandem vocem emittant.

26. Erigere ſe ſe ad hunc locum jam eos inintueor, qui in conjecturis, quas pro ſe habent, plurimum ſibi confidunt, illudque, quod paullo ante dixi, omnia nempe Salomonem abs ullo ſcelerum ſuorum ſenſu deceſſum conclamare, tamquam aliquid feſtive dictum excipere, quod omnibus falſitatis notis convictum, oneratumque arbitrentur, quin & judicatam rem habeant, ut mirum prorſus futurum ſit, ſi non illud & in conviviis rodant, & in circulis vellicent. Quibus ut pro eo quod eſt in me virium os obſtruam, melioremque ſi Superi & me, & illos adjuvent, mentem inſeram, extremam diſputationis meæ partem conjecturis eorum diluendis, diſſipandiſque occupo, & conſecro totam. Utinam verò ita temperem calamum, ut eâ, qua Cicero in ſuo ad Brutum Oratore Brutum ipſum eſt laude proſequutus, dignus videri omnibus poſſim. Ea

autem.

autem erat. *Quid tam difficile quam in plurimorum controverſiis dijudicandis ab omnibus diligi? conſequeris tamen, ut eos quos contra ſtatuas æquos, pacatoſque dimittas; itaque, ut cum gratiæ cauſſa nihil facias, omnia tamen ſint grata quæ facis.*

Digitized by Google

III.

27. Atque ut ab iis eorum conjecturis initium ducam quæ rem iſtam propius attingunt, (iſtæ autem ſunt, quæ a factis, verbiſque Salomonis repetuntur, ut nemo non videt: cæteræ enim quæ extra hæc ſunt, neſcio an quemadmodum facilè aſſeruntur ita & excipi debeant, quod alterius & loci, & temporis erit expendere), ſumamus Salomonis dicta, quæ a Sacris litteris depromuntur. *Vanitas*, inquiunt, *vanitatum*, *& omnia vanitas* conclamat Salomon Eccleſiaſtis cap. 1.: Proverbiorum 4. *noviſſimè ego egi pœnitentiam*, *reſpexi ut eligerem diſciplinam:* & cap. 30. *Stultiſſimus ſum virorum*, *& Sapientia hominum non eſt mecum*. *Non didici Sapientiam*, *& non novi ſcientiam Sanctorum*.

Non jam ab eis hic quæram, ſi reſipiſcentis Salomonis iſta ſint verba, qua ratione illud de ſe prædicare potuerit, quod 2. Eccleſiaſtis capite occurrit *Sapientia quoque perſeveravit mecum*. Non eos urgebo, gratis tribui Salomoni verba illa *Noviſſimè ego egi pœnitentiam*, & non aſſumptę ab ipſo perſonę, quod Scriptoribus ſacris familiare eſt, ac ſolemne, ipſique Salomoni frequentiſſimum. Prætercam & illud, verba hæc neque

neque in vulgata noſtra latina verſione, quæ textui Hebræo magis eſt conſentanea, ut eruditi ferunt, neque in Syriaca, neque in Chaldaica paraphraſi recenſeri; Chaldæus ſiquidem legit: *Et vidi ego, & poſui cor meum, & vidi, & ſuſcepi diſciplinam:* Syrus: *Id ego vidi, & reſpexi in corde meo, & eruditionem accepi*: Latinus: *Quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam*. Mittam & illud etiam, non ſatis firmam rem eſſe, quod ea verba, *ſtultiſſimus ſum virorum* . . . . Salomonis ſint, an verius alterius cujuſpiam hominis, quem Deus afflaverit, Auguris præſertim filii Jace ad Jthiel, & Vehal; quod Eruditis bene multis (*) ſonare videatur illud *Verba Congregantis filii Vomentis*, quæ inibi inſcriptionis locum veluti tenent: Non eos itidem moror, quod eo ipſo tempore, quo omnis Sanctitatis, & Doctrinæ gratia florebat, voces illas potuerit Salomon emittere; hoc eſt enim & temperati animi, & nihil ſibi arrogantis, & propriæ infirmitatis conſcii ingenue profiteri. Atq; iſtud eſt quod ad ſingulas ferme paginas apud Sacros Scriptores occurrit. *Non ſum Propheta*, de ſe dicit Amos(*), *& non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, & vellicans Sycomoros*. Apud Apoſtolum verò (*), cæteroſque tum veteris, cum novi Teſtamenti divinitus afflatos homines quid non hujuſmodi ſit non eſt cur commemorem. Quod tandem, unumque ab iis expoſco iſtud eſt; unde nam probatum habeant Eccleſiaſtis, & Proverbiorum librum ſub extremum vitæ curriculum a Salomone fuiſſe conſcriptum?

(*) *Vid. Nat. ab Alex. Hiſt. Eccleſ. t.* 2. *p.* 165.

(*) *cap.* 7. 3. 14.

(*) *ad Eph.* 3. 8. *alibi*.

Ex Scripturis? nihil profecto minus. Adeant, ſi eos vacat, & Regum hiſtoriam, & Eccleſiaſticum: exſcriptarum rerum teneant ſeriem, quæ-

que antecedunt, & quæ conſequuntur animadvertant. An non hujuſmodi, ut nihil minus animo informent, quàm Salomonis annis gravem libros illos adornaſſe? Quid enim ſi hæc Salomon confectâ jam ætate conſcripſit, cur ſceleſtæ ejus vitæ non attexuntur? cur primò quæ ſcripſit opera, tum ea quæ patravit ſcelera recenſentur? An anticipationis quam vocant figura uſi dicendi ſunt? Sit hoc illius qui Regum hiſtoriam contexuit. An iſtud de eo ſuſpicari licet, qui initium narrationi ad quam ſe comparat facit iſtjusmodi: *laudemus viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua?* Laudationis generis expers penitus, ac prorſus jejunus ſit oportet, qui in hujusmodi ſuſpicionem veniat. Quid verò, quod Salomon annum non ultra trigeſimum natus quam enixis a Deo precibus expoſtulavit Sapientiam eſt

(*) *Reg.* 3. *cap.* 3. *An. M.* 2991. *ante Chr.* 1013.

conſequutus (*), eamque in nominis celebritatem apud exteras quoque venit nationes, ut ex omnibus ferme terræ locis ad eum audiendum ingens populorum concurſus fieret, ipſaque Regina Saba nominis ipſius celebritate permota ad eum ſe conferret. An credibile eſt, tantum ſibi nomen comparaſſe Salomonem, ut *nominatus eſſet in univerſis gentibus per circuitum* (*), niſi

(*) *Cap.* 4. *v.* 31.

Sapientiam ſuam pluribus, iiſque, quæ omnium vincerent expectationem, teſtatam omnibus feciſſet: quod ſcilicet ter mille parabolas (*) loquutus fuerit: quod carmina ejus quinquies mille extiterint: quod ſuper lignis diſputarit a cedro quæ eſt in Libano uſque ad hyſopum, quæ egreditur de pariete: quod de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus diſſeruerit? Sanè tantam hanc nominis gloriam nec ipſe hiſtoriæ conſcriptor in aliam cauſſam revocari poſſe teſtatur, cum caput iſtud hoc fine concludit

(*) *ib. vv.* 32. 33.

(*) *Et*

(*) *Et veniebant de cunctis populis ad audien-* (*) v. 34.
dam Sapientiam Salomonis, & ab univerſis Regibus terræ, qui audiebant Sapientiam ejus. Jam vero & ipſam Reginam Sabam nonniſi ex magna fama, & rerum maximarum rumore pertractam fuiſſe id videtur quod inficiari a nemine poſſit; ad quod addiderim eo potiſſimum tempore a Regina Saba hoc fuiſſe perfectum, quo de Salomone nihil adhuc niſi egregiè factum conſtaret. Qui enim ſibi in animum inducat, tanto in honore haberi apud ipſam potuiſſe hominem Mulierum amoribus deperditum?

Hæc, præterquamquod patent ſingula tum laudatis Scripturæ locis, cum ex iis quæ Salomoni Regina Saba eſt proloquuta (*), liquidò etiam, (*) 3. Reg. cap. 10.
ut mihi quidem videtur, demonſtrant, toto eo tempore, quod ab anno Regni tertio ad ætatis ſuæ trigeſimum quartum, quo (*) Mulieribus (*) ibid. Cap. 4. 3. Reg.
ſe tradidit, effluxit, tantam ſibi gloriam comparaſſe, eàque propterea & libros illos, è quibus uberior certe ipſi laudum ſeges acceſſit, confeciſſe.

Neque vero putandum eſt diutino rerum temporalium, divitiarumque uſu fuiſſe ei neceſſum, ut ipſi de horum omnium contemptu ſcribenti crederetur, qui a Supremo rerum omnium æſtimatore rerum ipſarum cognitionem derivaverat, tantàque Sapientiæ luce fuerat perfuſus, ut veluti delapſus è Cœlo homo, iſque in quo particula quædam divinitatis eſſet impreſſa videretur.

28. At ex Hæbreorum traditione, inquiunt, niſi ex Scripturis. Scilicet ea fides iſtorum traditionibus habenda eſt, ut quod è Scripturis elicere haud valemus, ipſis referamus acceptum. Infinitus profectò ſim, ſi illorum in Scripturam commenta ad hunc locum congerere velim.

Digitized by Google

Unum afferam, quod adinſtar omnium eſſe poſ-
ſit. Exechiel cap. 21. habet. *Stilla ad Sanctua-*
(*) v. 12. *rium* (*), *quin & ego plaudam manu ad manum*
(*) v. 18. (*). Quid in hæc eorum Gloſſa? = Quando
„ Dominus recordatur de deſtructione templi, do-
„ lens percutit manus ſuas ad invicem, & hoc
„ eſt tonitruum, & lacrymæ ejus cadunt ad ter-
„ ram, & hoc eſt fulgur =. Vah putidiſſimum
ſigmentum!

29. Illis modo ſe credat quiſque cum actam populo coram a Salomone pœnitentiam probare nobis adnituntur, narrationemque hujusmodi inſtituunt, eum videlicet in templum veniſſe quinque virgis inſtructum, quarum quattuor legis peritis tradiderit ab ipſis vapulandus, qui communi inito conſilio cum definierint haudquaquam hoc ſibi licere, quod graviſſima illa Davidis ſententia *Noli tangere Chriſtos meos* tale quidpiam caveretur, ſibimetipſi ſponte Regnum abjudicarit, unâque tribu Ephraim retenta bipartitum fecerit imperium.

Sit ut volunt, non enim ſum neſcius, quibus rebus fides fieri ſoleat vel a graviſſimis interdum viris, dum hæc duo mihi comprobaverint: primum illud, graviſſimo de abolendis Idolis præcepto, quo hujusmodi ſimile quidquam neque jure
(*) Deuter. 7. v. 25. belli comparatum retinere haud licebat (*), ſa-
& 2. Maccab. cap. 12. v. 42. tis Salomonem feciſſe, quod neutiquam ab eo
præſtitum pluribus (*) jam demonſtravi: alte-
rum, num illa 3. Regum verba: *Dixit itaque*
(*) 1. par. (*) *Dominus Salomoni, quia habuiſti hoc apud*
(*) cap. 11. v. 11. *te, & non cuſtodiſti pactum meum .... Diſrum-*
pens ſcindam regnum tuum, & dabo illud Servo
(*) 16. v. 12. *tuo; Verumtamen* (*) *in diebus tuis non faciam*
propter David Patrem tuum: de manu Filii tui
(*) ibid. v. 13. *ſcindam illud:* (*) *nec totum Regnum auferam:*
ſed

Digitized by Google

ſed tribum unam dabo Filio tuo propter David Servum meum, & Jeruſalem quam elegi: & iſta. *Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam* (*), quod tum intentavit, cum intellexit, decem Tribus regni ſui de manu Filii ſui Roboam ſcindendæ futurum absdubie ut Jeroboamo advenirent, an hæc inquam cum ea Hebræorum hiſtoria, ſi verius fabellam nominare non liceat, aliqua ex parte cohæreant. Non itaque ullum aut verbum, aut factum, quibus pœnitentiæ ſuæ argumentum dederit exprimere a Salomone per eos licet, qui aut aperte ejus ſalutis patrocinium ſuſcipiunt, aut hanc incertum quiddam eſſe nulla facta certitudinis generum diſtinctione pronunciant.

(*) *ibid. v.* 40.

Supereſt ut quæ extra hos limites expatiantur eorum cogitata ſermone comprehendam, faciamque ſatis promiſſo. Quod in primis habent Regum 2. ad cap. 7. legitur: *Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium: qui ſi inique aliquid geſſerit arguam eum in virga virorum, & in plagis Filiorum hominum: miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul, quem amovi a facie mea*, quibus ſimile illud, quod Pſal. 88. complexus eſt David. Age verò, inquiunt, cum conſtet Saulem perpetuis fuiſſe ignibus addictum, cuinam dubium eſſe poteſt, hanc eſſe miſericordiam, ut ſcilicet ignis ille ipſum non tangeret, quam Deus a Salomone non abſtulit?

Immo verò, inquio ego, nullum niſi maximum, atque hujusmodi ut quidquid aliud eo ex loco conjicere liceat. Atque ne eos in invidiam adducere videar; Quid aliud putant Davidi promiſſum fuiſſe, niſi ut ex ejus ſemine Chriſtus oriretur, in eoque regnum ipſius ad

omne

Digitized by Google

omne tempus firmaret? Hoc autem qui fieri poterat, niſi Regnum ipſum in ejus familia conſiſteret. Hanc autem fuiſſe promiſſionem, minime ampliorem, hujus ſcilicet terreni Regni, non beatæ illius Regionis, adeo aperta res eſt in Scripturis, ut in eam cogitationem potuiſſe ipſos venire per mihi mirum videatur. Percurramus quæſo, quæ in rem iſtam extant Scripturarum Oracula.

Tertius Regum affert *Scindam Regnum tuum .... Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David Patrem tuum: De manu Filii tui ſcindam illud, nec totum Regnum auferam .... propter David Servum meum, & Jeruſalem, quam elegi*. Eſt ne hic alterius & promiſſi, & Regni mentio, quam temporalis?

(*) cap. 17. Paralipomenon primus (*) *Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad Patres tuos ſuſcitabo ſemen tuum, quod erit de Filiis tuis, & ſtabiliam Regnum ejus: ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſolium ejus uſque in ſempiternum .... & miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli ab eo qui ante te fuit*, Saul nempe. En de qua miſericordia ſit ſermo, quod ſcilicet e ſolio exturbaturus non eſſet Salomonem, quemadmodum Saulem re ipſa exturbarat.

Sequitur *& Statuam eum in domo mea, & in Regno meo uſque in ſempiternum, & trhonus ejus erit firmiſſimus in perpetuum*. Domum ſuam, & Regnum ſuum appellat domum David, ejusque ſolium, quod ex familia David ipſe eſſet oriturus. Hinc & illud intelligitur, quarè *Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu* ſuo, *& ſicut Luna perfecta & teſtis in Cœlo fidelis* Pſal. 88. dicatur.

Una porro tribus, pergit ſacer textus, *remanebit ei propter Servum meum David, & Jeruſalem*

lem Civitatem quam elegi ex omnibus Tribubus Iſrael eo quod dereliquerit me ...; nec ambulaverit in viis meis, ut faceret juſtitiam coram me, & prçcepta mea, & judicia ſicut David Pater ejus. An non his ſatis inſinuat, ſe neque hac miſericordia uſurum cum Salomone, paremque & hac in re facturum ipſum Sauli, niſi eo, quod Davidi pollicitus erat, qui fidem nuſquam fallit impediretur.

Tandem & iſta leguntur *Nec auferam omne Regnum de manu ejus, ſed Ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ propter David ſervum meum quem elegi, qui cuſtodivit mandata mea, & præcepta mea .... Filio autem ejus dabo tribum unam ut remaneat lucerna David Servo meo cunctis diebus coram me in Jeruſalem Civitate quam elegi, ut nomen meum eſſet ibi*. Quid mehercle afferri poteſt explicatius, ut oſtendatur nihil minus ex eo Regum loco conjici poſſe quam, quod Salomonem inter & Saulem interſit, illud eſſe quod ab adverſariis obtruditur. Regnum equidem Salomoni ſtetiſſe indubia res eſt in Scripturis, quemadmodum & in Saule ſui ipſius Regnum defeciſſe. Illud vero quod hoc loci de alia miſericordia ſit ſermo quam de temporali, dum certæ Saulici Regni defectionis, certæ item Salomonici ſtabilitatis, dum promiſſionis, dum contextuum ratio, & ſeries omnis apprime teneatur, a Scripturæ ſenſu quam longiſſime interpretamentum iſtiusmodi aberrare non erit profecto, ſi recte ſentio, qui apertè non videat.

30. At, inquiunt, non unus eſt Scripturæ locus qui huic interpretamento viam ſternat. An non formulæ illæ, quibus Salomonis mors adumbratur: *Dormivitque cum PP. ſuis* (*), *& ſepultus eſt in Civitate David Patris ſui?* An non &

(*) 3. *Reg.* 11. 43.

(*) Paralip. 2. 17. & iſtæ *Et roboraverunt* (*) *Regnum Juda, & confirmaverunt Roboam Filium Salomonis per tres annos. Ambulaverunt enim in viis David, & Salomonis annis tantum tribus*, quibus viæ Salomonis perinde ut Davidis probantur, quod quidem a Scriptura haud diceretur de eo, qui extremam in Idololatria confeciſſet ætatem? An hæc inquam argumento eſſe non poſſunt miſericordiam eam Salomonem eſſe aſſequutum, quâ ipſe, non terreno dumtaxat Regno, a Saule amplius differret?

Equidem non me latet multos fuiſſe impios Reges quorum corpora hoc honore, ſcilicet quod in Sepulchris Regum Juda tum cum vita functi conderentur, donata haud fuere, hoſque inter Joramum Filium Joſaphat: Ochoziam: Joam: & Achazum. Verùm quod hoc argumento eſſe debeat vel damnationis, vel ſalutis ipſorum id eſt quod contendo. Fac enim ſit iſtud. Quot iniqui Reges qui vita exceſſerunt, quorumque pœnitentia in Scriptura non legitur, ſalvi habendi eſſent? *Dormivit cum PP. ſuis, ſepultuſque eſt in Civitate David* (*) & Roboam: *Dormivit*, & ejus Filius Abia (*): *Dormivit*, & Amasia (*), quorum impietatem, & Roboam quidem Paralipom. 2. cap. 12.: Abiæ Reg. 3. cap. quintodecimo: Amasiæ 2. Paralipom. cap. quinto cum vigeſimo deſcriptam habemus, pœnitentiam certe nullam. Quid autem quod & certò pœnitentes Reges, quos inter Manaſſes, ęternam incurriſſe damnationem dicendi eſſent, quandoquidem ut 2. Paralipom. 33. cap. habetur, *ſepultus eſt* is *in domo ſua*. Quod igitur aliquorum Regum corpora in piorum ſepulchra ſint, aut minime, illata argumentum ullum haud facit vel ſalutis, vel damnationis ipſorum.

(*) 3. Reg. 14. 31.
(*) 3. Reg. 15.
(*) 2. Paralip. 25. 28.

Ad

Ad hæc accedit, nihil apud Hebræos antiquius fuiſſe, quam iſtorum utrumque: alterum, ut ne piorum Regum ſepulturæ Regum eorum corpora demandarentur, quos non tam in ſceleribus vitam egiſſe ſuam, quam peſſimo quodam mortis genere illam clauſiſſe conſtaret: alterum, ut ſimilium etiam Regum cadavera aliquando Regiæ ſepulturæ traderentur, qui a Parentibus profecti fuiſſent, quorum merita in Religionem plurima eſſent, eademque præclara. Utrumque ex ſacrarum litterarum monumentis facilè proſtat: quandoquidem legere eſt, ad primum quod attinet, Joramum ea de cauſſa Regum ſepultura caruiſſe .... *Lunga conſumptus tabe*, inquit Scriptura (*), *ita ut egereret etiam viſcera ſua languore pariter, & vita caruit: mortuuſque eſt in infirmitate peſſima, & non fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat majoribus ſuis .... & ſepelierunt eum in Civitate David: Verumtamen non in ſepulchro Regum:* ad alterum verò quod ſpectat: *Cum ergo everteret Jehu*, (*) habent Sacræ litteræ, *domum Achab* (cui delendæ eum inunxerat Dominus) ... *ipſum quoque perquirens Ochozìam .... occidit, & ſepelierunt eum, eo quod eſſet Filius Joſaphat, qui quæſierat Dominum in toto corde ſuo*. Sepelierunt, ſcilicet, in ſepulchro Regum, neque enim neſcius eſt quiſquam, dum ſacrarum litterarum eruditione vel leviter adſperſus, ſemper ac in Scriptura regiorum emortualium ſit mentio, apertiſſimis verbis eorum comprehendi Regum parentalia, quæ extra communem rationem habita fuerint. Sic Paralip. 2. vv. 13., & 14. diſertis verbis Aſæ funebria traduntur: *Dormivitque cum PP. ſuis ..., & ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in Civitate David: poſuerunt*

(*) *Paralip.* 2 *c.* 21. *vv.* 18. 19. 20.

(*) 2. *Paralip.* 22. *vv.* 8. 9.

eum

eum ſuper lectum &c. Sic Reg. 3. cap. 14. non minus aperte edocemur Jeroboamo Regum ſepulturam datam non fuiſſe; de puero ſiquidem ejus Ahias Proph. ad uxorem Jeroboam inquit inibi vv. 11., & 12. *Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam, & in ipſo introitu pedum tuorum in Urbem morietur puer, & planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet: iſte enim ſolus inferetur de Jeroboam in ſepulchrum, quia inventus eſt ſuper eum ſermo bonus a Domino Deo Iſrael in domo Jeroboam. Verumtamen non in ſepulchro Regum*, habemus de Ochozia. *Sepultus eſt in domo ſua*, de Manaſſe. *Et ſepelierunt eum in Civitate Jeruſalem; neque enim receperunt eum in Sepulchris Regum Iſrael*, de Achazo; ut jam qui inficiari id velint, aut reprehendere, eos non tam impudentia falli putandum ſit, quam invidia, atque obtrectatione quadam impediri. Quò igitur recidit adverſariorum conjectatio ex hiſce verbis *Dormivitque cum PP. ſuis*, & quæ conjuncta ſunt iis, profecta, niſi ut ne nomen quidem ferme dixerim conjectationis vindicare ſibi videatur.

31. Alterum quod ex verbis illis *ambulaverunt in viis David & Salomonis* extundunt eodem recidere ac ſuperius nemo dubitaverit unus, qui comparationem intelligat inſtitui ad vias cum Davidis, cum Salomonis non quaſcumque, ſed rectas, ad omnemque Religionem compoſitas, quin & ad primas: ad rectas inquam; *Quicumque enim*, ait Scriptura loco nobis objecto, *dederant cor ſuum, ut quærerent Dominum Deum Iſrael venerunt in Jeruſalem ad immolandum ...; & roboraverunt Regnum Juda, & confirmaverunt Roboam Filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David annis tantùm tribus:* ad vias igitur rectas non ad quaſcumque comparatio

ratio inſtituitur, cum ly *ambulaverunt* ad eos referatur, qui *dederant cor ſuum, ut quærerent Dominum;* porro conſtat primas Salomonis vias rectas fuiſſe: quemadmodum vero ad rectas ita & ad primas; enim vero prima Jeroboamici Regni tempora aperte inſinuantur. Viæ igitur priores, non poſteriores invicem conferuntur. Cum itaque primæ Salomonis viæ rectæ non ſecus fuerint, ac illæ Davidis mirari profecto non ſubeſt, quod in illis eodem numero & David, & Salomon habeantur.

Hujus autem rei quod ad unam nimirum vitæ partem duæ perſonæ in comparationem veniant, idcirco quod in ea æque ſe geſſerint, frequens eſt in Scripturis exemplum. Unum adinſtar omnium eſſe illud poteſt quod de Amone 4. Regum conſcribitur (*): *Fecitque malum in conſpectu Domini, ſicut fecerat Manaſſes Pater ejus, & ambulavit in omni via, per quam ambulaverat Pater ejus, ſervivitque immunditiis, quibus ſervierat Pater ejus, & adoravit eas: & dereliquit Dominum Deum PP. ſuorum, & non ambulavit in via Domini*. Illud ſane, *ambulavit in omni via per quam ambulaverat Pater ejus*, nonniſi ad peſſimas refertur. Cum ergo & Salomon a poſterioribus Davidis viis ita deflexerit, ut pœnitentis Davidis argumenta habeantur quamplurima, ne unum quidem autem Salomonis, reliquum eſt, ut non ad alias quam ad priores utriuſque vias, quæ nobis objicitur, inſtituta comparatio referatur.

(*) c. 21. vv. 20. 21. 22.

32. Hæc ad ea quæ ex Scripturis conjicere, atque haurire, ſi per eos liceat, adverſarii noſtri pertentant. Quid modo ad illas, quas de ſuo cudunt, & quo quiſque abundat ingenio, in lucem proferunt, conjectationes? Movet aliquos quod tot prædeſtinationis monumenta peccata ip-

Digitized by Google

ſius anteverterent, ſibique in animum inducere nequeunt, quod peſſimo fine pulcherrima adeo initia concluſerit.

Eccur vero, inquio ego, ſic pertrahi ſe ſinunt, ac permoveri? Quæ profecto initia nedum cogitare, ſed ſuſpicari etiam poſſumus præclariora, quam eorum, quorum condens naturam rerum omnium Artifex erat, teſte Auguſtino, largiens, & gratiam? Attamen quo hæc initia a tertia eorum parte concluſa ſint fine nullus hominum ignorat. Immo hæc ſunt, quæ a providentiſſimo ſalutis hominum Authore in noſtram diſciplinam inſtruuntur exempla. Hinc Sapienter (*) qui ſcripſit = Salomon elatus in ſenio fornicatus mente, & „ corpore, Domino ipſum deſerente, male obi- „ it: Metuendum exemplum poſteris relinquens, „ ne felicitate hujus vitæ turbati Chriſtum deſe- „ rant, qui eſt ſuorum æterna felicitas =. Parum fuerat, ad hæc addiderim, neque imprudenter ut arbitror, in Angelorum omnium Principe tam terribili exemplo inflatos præ tumore hominum animos commodaſſe: parum invidia tabeſcentibus in Saule conſuluiſſe; ni & in Salomone luxurioſis hominibus exemplum omnium tanto utilius, quanto id vitii omnium familiarius, magiſque longe lateque diffuſum, tanto efficacius, quanto in homine omnigenæ Sapientiæ, & gratiæ, Deo ipſo, qui veritas ipſa eſt, atteſtante, in primis divite compararetur. Mirari ergo deſinant, eamque cum Auguſtino (*) vocem emittere haud vereantur *Salomon bonis initiis malos exitus habuit*.

(*) *S. Proſp. p. 2. cap. 27.*

(*) *lib. 17. de Civitate Dei.*

33. Audire eſt nonnullos, quibus nihil antiquius, quam ne unum quidem earum Scripturarum Authorem, quas in numero habet Eccleſia, & tamquam *Canonicas* ſuſcipit, Sanctum ne dum fuiſſe

ſuiſſe cum ſcriberet, verum & ſancto fine quieviſſe.

Perinde ac ſi aut ſanctum neceſſe ſit eſſe, qui ſancte ſcribat, aut qui ſemel a Deo afflatus aliquid ſcripſerit ſalutis ſuæ arram ſit conſequutus, aut ſacri Scriptoris tum vita religiosè traducta, tum felici fine conſummata adeo in Scripturarum *canonicitatem* conferant, ut & Sanctus ille haberi debeat cum ſcriberet, & SS. albo receptus, cum ex hac vita migrarit: aut demum, ſin minus apud eos, qui Critices arte ſunt ſpectatiſſimi, apud quos ſane ſuffragari quidem Authoris ſanctitatem, minime verò eſſe pernecesſariam decretum eſt prorſus, ac inter certiſſima, apud ſaltem Eccleſiam tanti fieret hæc Sanctitatis nota in ſacris Scriptoribus, ut nullus librorum ab ea tamquam *Canonicus*, niſi qui hac nota præcelleret, ſuſciperetur. Quod ultimum (in cæteris enim ut quid te, qui dum legis ſimul & approbas, diſtineam) unde nam nobis probare iſti valeant? Extat ne aliquid hujuſmodi ab Eccleſia definitum, nimirum quod eum in Cœlis degere, eaque in luce verſari putemus, qui ſacrarum Scripturarum monumentum aliquod nobis reliquerit. Tale quidpiam profecto ad hæc uſque tempora inauditum. Et ſane nihil ſimile cum ſacrarum Scripturarum inſpiratione conjunctum eſſe facile a quoquo intelligitur, omnium vero maxime novit Auguſtinus (*p*). *Salomon*, inquit, *Mulierum amator fuit, & reprobatus a Deo, & uſque*

(p) Enarrat. in Pſal. 126., de quo idem ad Fauſtum lib. 22. cap. 81. *de Salomone autem quid dicam niſi quia gravius ipſius fidelis, & ſanctæ Scripturæ teſtimonio redarguitur, quam petulantibus, & nugaci-*

uſque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, ut a Mulieribus etiam Idolis ſacrificare cogeretur, ſicut de illo Scriptura teſtis eſt. Sed ſi illo cadente, quæ per illum dicta ſunt delerentur: judicaretur quia ipſe dixerat, non per illum dicta erant. Optime igitur etiam hoc egit miſericordia Dei, & Spiritus ejus, ut quidquid boni per Salomonem dictum eſt Deo tribueretur: peccatum autem hominis homini. Quapropter quo jure traditum id ſcripto fuerit a viro cæteroquin clariſſimo, *eſt ſine exemplo quod Scriptorem Bibliæ non ſanctum habeat Eccleſia qui intelligeret Myſteria quæ ſcriberet*, non ſatis video. Certo enim certius eſt nullam adhuc ab Eccleſia nec de Salomonis ſalute, nec de damnatione latam fuiſſe ſententiam.

34. Sunt qui multum in eo præſidii ſibi eſſe arbitrentur, quod Salomon, & Proavis Salvatoris adnumeretur, & Chriſti figura extitiſſe dicatur.

Hos verò ita compellare primitus liceat. Chriſtum ne adumbravit & David? Utique. Non ſane cum aliena uxore eſt abuſus: non etiam cum interficiendi Uriæ conſilium cæpit, ſeque honoris cujuſdam ſpecie, morte revera ipſius ab eo expedivit: non itidem cum cenſum haberi exercitus decrevit: tunc ergo ſuis veluti coloribus Chriſtum expreſſit, cum procerum illum hominem

gacibus Fauſti conviciis, & cap. 28. *quem vehementer arguit ipſa Scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentia ejus, vel indulgentia Dei omnino commemorat* & lib. de Doctr. Chriſt. cap. 21. *in iſto viro*, Davide ſcilicet, *immoderatæ hujus libidinis non permanſio, ſed tranſitus fuit ... at verò in Filio ejus Salomone non quaſi hoſpes tranſitum habuit, ſed regnum iſta libido poſſedit*, denique quod ex aureis illis de Civitate Dei libris nuperrime dedimus.

Digitized by Google

nem haſta, galeaque ac, clypeo præſidentem proſtravit: cum illud de ſe cum veritate potuit affirmare, *Principes perſecuti ſunt me gratis:* cum Semei injurias æquo animo pertulit, uno verbo cum Religionem excoluit. Idem igitur eſto de Salomone. At inquient, neque hoc commovet, quod prædeſtinatorum Principis perſonam adumbraret, qui communi damnatorum maſſæ eſſet tradendus? Proh quam feſtive id dicitur! abſit tamen verbo, quod caſu quodam excidit, invidia, neq; enim is ſum qui me doctum putem ſi aliis detraham. Qui prædeſtinatorum Princeps nonne idem eſt, & naturâ, a peccato immunis, & innocens, & immaculatus, & ſegregatus a peccatoribus? Hujus tamen ſi potuit eſſe figura, qui non uno crimine vitam ſuam commacularit, David nempe, cur non & prædeſtinatorum Principis damnandus Salomon potuit exiſtere? aliud quiddam eſſe, velint, nolint, intelligant neceſſe eſt Chriſti eſſe figuram: aliud ipſum aut prædeſtinatum, aut immaculatum exprimere. Non una in re exprimendus is fuerat, qui unum quidem opus ut perficeret eſt delapſus è Superis: hoc tamen erat multiplici ratione firmandum: quod omne ſi mihi ſumam oſtendere, morari in apertiſſimis videar. Quemadmodum itaque electus ex millibus, Davidem dico, ad id inſtitutus non eſt ut Chriſtum immaculatum exprimeret, ita & Salomon, inquio ego, pro iis quæ extant ex Scriptura momentis, ad id certe non eſt aſſumptus, ut eum prædeſtinatum aliqua ex parte adumbraret, cum immo nihil minus, ſi vacuo animo ſingula penſitentur, liceat medius fidius conjicere. Aliam longe viam profecto iniit Auguſtinus (*) cum in Salomone quid ejus tota vivendi ratio ſignificaret ſedula inveſtigatione per-

(*) *lib.* 22. *cont. Fauſtum.*

perquireret. Qualis ea ſit, habe. *Nec mihi*, inquit, *prorſus occurrit, quid ſaltem in Allegorìa boni ſignificet hæc ejus flenda ſubverſio, niſi forte quis dicat, Mulieres alienigenas quarum amore exarſerat ſignificare Eccleſias electas de Gentibus. Poſſet hoc fortaſſe non abſurde intelligi, ſi illæ propter Salomonem deſererent Deos ſuos, & colerent Deum ejus. Cum verò ipſe propter illas offendit Deum ſuum, & coluit Deos earum non eſt quid inde boni expectare poſſimus. Nec tamen nihil arbitror ſignificare, ſed malum ſicut de uxore, filiabuſque Loth diximus. Apparet enim in perſona hujus Salomonis & mira excellentia, & mira ſubverſio. Quod igitur in illo diverſis temporibus extitit prius bonum, & poſterius malum: hoc in Eccleſia in iſto adhuc Sæculo ſimul uno tempore oſtenditur: Nam bono illius bonos Eccleſiæ: malo autem illius malos Eccleſiæ ſignificatos puto.*

35. Quod autem proavis Salvatoris adnumeretur non magis curſum diſputationis noſtræ retardat. Enim vero & Roboam, & Abìam, & Joram, & Ochozìam, & Joatham, & Achazum adnumerari (*) compertum eſt: quorum qui fuerit exitus quantum ſatis ſum ſermone complexus (*). Neque vero dignitatis ratio habenda ulla ejus eſt, qui nullam ipſe habere voluit, eoque abjectionis devenit, ut medius inter viarum graſſatores cruci affixus extremum ſpiritum exhalaret. Hinc illa Apoſtoli (*) *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis:* (*) *factus pro nobis maledictum:* (*) *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, & alia hujus generis ſexcenta, quæ ſane quidquid aliud oculis noſtris objiciunt,

(*) *Matth. cap.* 1.

(*) *n.* 30.

(*) *ad Philipp.* 2. 7. 8.

(*) *ad Galat.* 3. 13.

(*) *ad Rom.* 6. 3.

quam

quam ipſum dignitatis ſuæ rationem habuiſſe. Quod ſi lubeat cum Auguſtino (*) hinc generationis, quam Matth. narrandam ſuſcepit, naturam: inde in vario generationis iſtius ordine, quem cum Matthæus, cum Lucas ſunt ſequuti, quid ſignificationis interſit advertere, eam in ſpem erigor, futurum ut admirationi amplius non ſit, aliquos Chriſti progenitorum fuiſſe, qui a Superorum ſede in omne tempus exularent.

(*) *lib. 2. de conſenſu Evangeliſt.*

Atque ut de Matth. generatione ex ordine dicam. *Matthæus Evang.*, inquit Auguſtinus, *ſic orſus eſt:* Liber generationis J. C. Filii David, Filii Abraham. *Quo exordio ſuo ſatis oſtendit, generationem Chriſti ſecundum carnem ſe ſuſcepiſſe narrandam; Secundum hanc enim Chriſtus Filius hominis eſt, quod etiam ſe ipſe ſæpiſſime appellat commendans nobis, quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis*. Hæc ille: ad hæc vero rogo adverſarios meos, num aliquis inter homines ſit, aut eſſe etiam poſſit, qui non intelligat, locum tanto ſublimiorem hanc miſericordiam tenere, quanto depreſſiorem is qui miſertus eſt, hac in luce qua fruimur ſibi pararit. Magnum quiddam profecto Deum Filium hominis & dici, & eſſe: at Filium hominis damnati, quantum eſt unquam! quam præclarum! quam præcellentiſſimum! illud ſane, ut omnium expectationem vincere videatur.

Veniam modo ad id, quod alterum erat, ut ſcilicet generationum, quas cum Matthæus, cum Lucas ſunt proſequuti, ordo animadverteretur. Quid porro vel hac ſuper re ab eodem Aug. feratur judicii præſtat attendere; *Quapropter*, inquit ipſe (*), *in generationibus Matth. ſignificatur noſtrorum ſuſceptio peccatorum a Domino Chriſto. Ideo eas ille deſcendens enarrat*, *iſte*, Lucas

(*) *eod. lib.*

M nem-

nempe, *aſcendens*. *Quod enim dicit Apoſtolus* Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati *hæc eſt ſuſceptio peccatorum*. *Quod autem addidit*, ut de peccato damnaret peccatum in peccato *hæc eſt expiatio peccatorum*. *Proinde Matth. ab ipſo David per Salomonem deſcendit*, *in cujus Matre ille peccavit*: *Lucas verò ad ipſum David per Nathan aſcendit*, *per quem Prophetam Deus peccatum illius expiavit*. Redemptoris ergo officium, ſive mavis, redemptionis ipſius indoles utràque generatione comprehenditur. Hanc vero ſi parumper inveſtigemus, ea eſſe deprehenditur, ut pauci certe hominum fructum illius percipiant, quod licet ipſorum hominum vitio contingat, præſignatum id tamen a genealogiis ipſis quis non immerito exiſtimet; ut nimirum in Davide eos, quibus Chriſti Sanguis utilitati erat futurus, eos in Salomone, quibus majori eſſet damnationi, expreſſos habeamus, unàque conſultum quam maxime iis, qui redemptionis miſericordia freti plus nimio omni vitiorum cæno, veluti ad fontem hanc omnium præclariſſimam tum cum ipſos libuerit detergendi, volutantur, atque ſordeſcunt.

36. In Scenam prodeat & qui in quæſtionem hanc attulit: (*) *Nihil in ea eſt certius*, *quam ipſam incertitudinem*: qualem quæſo? *hoc unum eſt ex iis quæ nos Deus mirari voluit*, *ſcire noluit*: quà ſcientia? *prævidens utiliorem nobis fore de hac re ignorantiam*, *quam ſcientiam*; quotidie melius: Audiamus iterum quæſo hac in re novum utilitatis genus. *Nam ſcientia ſi eſſet de ſalute Salomonis præſumptuoſos redderet malos*, *qui eo exemplo excitati leviter præſumerent eundem ſe quoque finem habituros*: Ità vero, ſi non melius iſtud adhuc, tum cum aliqua certitudine certi eſſent

(*) *Mendoça in libb. Reg. annot. 3. proœm. ſect. 7. n. 16.*

ſent de malo ipſius exitu: *ſi de æterna ejusdem damnatione, puſillanimes redderet bonos, qui animum omnino deſponderent, videntes tantas virtutum opes, quibus Salomon abundaverat, penitus interiiſſe:* ita etiam, ſi quod videatur frequentius in bonis non ſit ipſum præſumere: *ignorantia verò utroſque redderet cautos, & inter ſpem, metumque ſollicitos conſervaret.* Scilicet, aut non alia a communi ſalutis hominum proviſore comparata eſſent certiſſima exempla (quibus permoveri homines citius ſolent) cum malis ne præſumant, cum bonis ne deſpondeant, quę hic afferre otioſi hominis eſſet, tam multa ſunt eademque ferme omnibus cognita, atque perſpecta: aut ad ipſum Salomonis exemplum quod pertinet, non minus præſumendum eſſet (præſumere autem illud eſt quod in bonorum animum facilius cadere ipſorum bonorum confeſſione conſtat) non minus inquam bonis ipſis præſumendum eſſet, & magis timendum malis, quod de peſſimo Salomonis exitu bonis, maliſque conſtaret: aut denique adhuc hæc ignorantia plurimum iis obeſſet, qui certitudinem nonniſi moralem adſtruunt, quam ſanè cum metaphyſica incertitudine componi jam oſtendimus (*). Et iſti ergo nihil conficiunt, (*)

Sed ſiccum ſterili vomere littus arant.

37. Quid autem magis ii, qui ex revelationibus uſque ſuffragia ſibi comparant, paululum immorari non pigeat intuentes. Revelatio, ex qua patrocinium petitur, ſic ſe habet. *Quid miſericordia mea cum anima Salomonis fecerit volo homines latere, quatenus carnalia peccata ab omnibus magis devitentur.*

Quam porro exiguam huic revelationi fidem iidem (*) ipſi præſtent, qui Metildis, quam pluribus extollunt, hujusmodi teſtimonium (*) in medium

(*) *poſt.* 2.

(*) *lib.* 4. *de Ponto Ep. Ovid. ad Sever.*

(*) *de la Turre loco ſæpe citato.*

(*) *ex lib.* 5. *revel. cap.* 6. *tit. de anim. Samſ. Salom. Orig., & Trajani.*

medium proferunt, multipliciter teſtantur: in primis verò cum ad Trajani, quod attinet, animam (de qua in eadem revelatione) nolunt eam ſibi ad ea officere, quæ de Trajani ſalute affirmaverint, *quantum*, inquiunt (*), *ad animam Trajani hoc non officit iis, quæ probabiliter diximus de Salute ejuſdem:* deinde cum hæc ipſa revelatio nihil penitus anxios, ac ſollicitos eos habuerit, qui ſuæ in Salomonis ſalutem ſententiæ finem hunc fecerint, *concludendum videtur Salomonem ſalvum eſſe.*

(*) *q. 4. art. 6. in app. §. 5.*

Dubitaverim autem ego plurimum, utrum Metildis, quam & ego cum ipſis & *profeſſione Benedectinam* ſuſpicio, & *Virginem doctam, & ſanctiſſimam* appello, *divinis miraculis claram*, & *Birgittæ non inferiorem* pariter habeo, hujusmodi fuerit revelatio, an verius alterius cujuſpiam Monialis, quæ ex Metildis contubernio ſe eiſdem viſis gaudere facile arbitrata in curioſitatem iſtam, (quod Mulierum vitium eſſe ſolet in ſingulis rebus) inciderit, ſibique ſtatim e Superis Deum adſtitiſſe, idque reſponſi tuliſſe fuerit viſum. Cauſſa mihi dubitandi eſt, quod vel ea revelatione manifeſtum id fecerit Deus, quod latere homines volebat, vel ut re ipſa ſit ille damnatus, finem quem ſibi præſtituit non aſſequatur: utrumque apertiſſimum mihi videtur. Ut enim carnalia peccata magis ab omnibus devitentur, id eſſe non poteſt, niſi ex damnationis Salomonicæ timore: timor autem iſte ex Salutis ignoratione proficiſcatur neceſſe eſt: hæc igitur eſt quæ ſiletur a Deo: Manifeſtum id ergo facit, quod latere homines velit. Finem verò non aſſequitur, ut eum contingat eſſe damnatum; Quamvis etenim verum ſit, ignoratam libidinoſorum quorundam hominum ſalutem magis ad eorum peccata evadenda

denda conferre, quam ſi ea innoteſceret, dubia tamen ſalus certâ cum damnatione ſi conferatur, nemo dubitaverit unus, quin iſthæc, certa nempe damnatio, huic terrori incutiendo, horrorique de ejusmodi peccatis ingerendo ſit magis. Quamobrem aut Deus per hæc dum obtegere aliquid ſtudet, idem ipſe aperit, aut finem non aſſequitur; neque enim ex dubio quorundam ſceleſtorum hominum exitu magis abſterreri putandum eſt ejusdem furfuris cæteros, quam ex certo damnationis ſtatu, quem miſere incurrerint. Atque hoc eodem urgebitur quiſquam, ſive, quæ extat & de Samſone, revelationem, ſive, quæ de Origene, ſuſceperit; Nam eum eadem omnia incommoda ſequentur.

Quod ſi, quæ inibi exiſtit, de Trajani anima revelationem in lance conſtituere velimus, una ſimul concident omnes. Nemo quippe ignorat quam factum illud fictitium ſit: quam hæc liberatio fidei noſtræ vim faciat: quam de Trajani anima revelatio ad Matildem ab ea diſcrepet, quæ de hac eadem anima ex Birgittæ pœnu profertur (*): quam etiam hæc duo, quod nempe Trajani, & Origenis eadem ſit ex Metildis revelatione conditio, cum Ario verò, & Neſtorio eodem igne Origenes alia ex revelatione, cujus mentionem facit ſeptima Synodus, dirè torqueatur, ne punctum quidem ſe inter cohæreant. Longe itaque a nobis ſit, ut quidquam hujusmodi divinitus pronunciatum arbitremur. = Eloquia „ ſiquidem Domini, quemadmodum ſcitè ajebat „ Baronius (*) eloquia caſta argentum igne exa„ minatum, probatum terræ, purgatum ſeptu„ plum, quæ nec rubiginis quidquam admit„ tunt: nec fiat ut credam quid hujusmodi fuiſ„ ſe Sanctiſſimis fœminis revelatum, vel ab ipſis

(*) *lib.* 4. *cap.* 13.

(*) *ad an.* 604. *n.* 54.

„ eſſe

„ eſſe conſcriptum, ſed tantum ipſarum nomine
„ ab aliis promulgatum. Abeant igitur vana com-
„ menta, ſileant prorſus inanes fabulæ, ſepelian-
„ turque æterno ſilentio =.

Jam puto ex omnibus, quæ in hac mea diſputatione ſum complexus, te, cui ſcribo, percipere, quid judicii in cauſſam Salomonis, quod a veritate, quam his incluſi corporibus haurire, aut attingere poſſumus, minus aberret, ſit ferendum; & an mihi jure aliquo exprobare quis poſſit, quod olim de Hermagora, primo ejus de Inventione libro, ſcribebat Cicero: *Hermagoras nec quid dicat attendere videtur*. Enim vero, ſive judicium de ſalute Salomonis ex factis, ac verbis ipſius, ſive ex hominum conjecturis repeti velit, id me aſſequutum eſſe confido, quod initio pollicitus ſum; id autem conatus ſum unum, ac mihi videor perfeciſſe, ut damnationem Salomonis aut certam eſſe abſolute certitudine morali oſtenderem, aut certam ut minus hac certitudine magis, quam ipſius ſalutem.

Forte hic aliquis poſtulet, cur a PP., Authoribuſve in rem meam ferendis abſtineam, quibus id habe reſponſi; rem hanc ex hujusmodi eſſe, quæ authoritate definiri non poſſit, meam ab initio tractationis iſtius fuiſſe ſententiam: poſtulaſſe idcirco (*), quamvis numero plures (*q*) eos eſſe viderem, qui Salomonem damnatis adnumerarent, ut pro qualitate materiæ, vel authoritate hominum, vel conjecturis liceret rem definire. Quid enim in tanta ſentiendi varietate, quid certi

(*) *poſt.* 3.

(q) Qui enim ſaluti Salomonis adverſantur, ſunt numero 13., qui ejus patrocinium ſuſcipiunt 9. ſicut & qui in nullam magis ſententiam inclinant, ut inferius deprehendes.

certi ab ea peterem? Hic judicium ſuum omne retinet (*r*): ille aperte condemnat (*ſ*): alter in beatitatis loco conſtituit (*t*). Quid authoritatis præ ſe quiſque ferret: quid cauſſæ cuiquam fuerit, ut tale haberent judicium, aliaq; id genus qui vellet perquirere, præterquamquod infinitum pœne dixerim opus ſuſciperet, comparationem etiam inſtitueret hujuſmodi, quæ apud nonnullos offenſionem haberet. Accedit quod illud Auguſtini dictum ad Vincentium Donatiſtam, quod & inter decreta, tam magni eſt habitum, diſt. 9. in cap. *Ego ſolis* perlegimus, præclarum mihi ſemper viſum fuerit, & homine dignum qui mente ſua uteretur, & tantum authoritati tribueret, quantum ipſa aut rationi impedimento, injuriæque non eſſet, aut rationis locum teneret. *Doctoribus*, habet ejus dictum, *nihil magis authoritatis dandum eſt, quam in quantum poſſunt aliquid melius, quam alii perſuadere; non tamen ideo credendum eſt aliquid ſic eſſe quia ipſi dixerunt.* Rationes itaque tu dum legis expende, in qui-

bus

(r) Apud de la Turre Tertull., & etiam Auguſtinus (crediderim tamen mentem Auguſtini magis aſſequutum Natal. ab Alex., quem in ſequenti enumeratione conſector) S. Baſil., S. Cyrill. Alex., S. Gregor. Nyſs., S. Iſidorus, S. Bern., Rup., Suid., S. Anton., 9., quemadmodum in not. q.

(ſ) Apud de la Turre S. Cypr.. S. Gregor., S. Proſper., (quibus addo ex Natal. ab Alex. D. Auguſtinum), Eucher., Beda, Rabanus cit. a Gloſsa, Sozom., Abul., Vega, Bellarm., Perer., Maldon., 13. ut ſupra in not. q.

(t) SS. Hieron., Ambroſ., Hilar., Epiph., Cyrill. Hieroſol., Irenæus, Thom. Bellov., D. Bonav., & Hugo Cardin., 9. ut ſupra in eadem nota.

bus habes meum de Salomonis ſtatu judicium; quod aut ſequere, ſi probaveris: aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt tuum, in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tantopere hoc perexiguo libro aſſeveravi, unquam affirmabo eſſe verius, quam tuum. Poteſt enim non ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud aliàs videri. Quamvis ut dicam quod ſentio, id judicii mihi videar hac ſuper re attuliſſe, quod & ad conſuetam gubernandi rationem, quam D. O. M. init in dies, magis conſentaneum, & ad Scripturarum mentem accomodatius, demum & ad morum noſtrorum diſciplinam utilius accedat. Quod tamen cumque ſit illud, id certe ſum aſſequutus, ut tuæ voluntati inſervirem, cujus muneris ſi cauſſam mihi perſæpe præbeas, rem facies omnium mihi gratiſſimam. Vale.

FINIS.

Digitized by Google

Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus. Prævidet bonos futuros, & creat: Prævidet futuros malos, & creat: ſeipſum ad fruendum præbens bonis: multa munerum ſuorum largiens & malis: miſericorditer ignoſcens, juſte ulciſcens: itemque miſericorditer ulciſcens, juſte ignoſcens: nihil metuens de cujuſcumque malitia, nihil indigens de cujuſcumque juſtitia: nihil ſibi conſulens de operibus bonorum, & bonis conſulens etiam de pœnis malorum. Sent. Aug. ex D. Proſp. CCXCI.

Digitized by Google

2
10.5.141

Digitized by Google

005658129

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 8274800
Digitized by Google

Digitized by Google